Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Calixt

Georgii Calixti S. Theol. D. Et In Acad. Iulia Prof. De Immortalitate Animae Et Resurrectione Carnis. Liber Unus

[S.l.], 1649

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1012015025/phys_0001
Mecklenburg
Vorpommern

KB NB 0009. 1-8

Const. 3/R.

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1012015025/phys_0002

Mecklenburg
Vorpommern

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1012015025/phys_0003
Mecklenburg
Vorpommern

Nr. 8

GEORGII CALIXTI
S. THEOL. D. ET IN ACAD.
IVLIA PROF.

DE IMMORTALITATE ANIMÆ ET RESVRRECTIONE CARNIS.

Liber unus.

CONSECRATVS MEMORIÆ
Amplissimi & optimi viri,

PETRI OVERBEQVII BELGÆ,
CVIVS ANIMÆ ÆTERNVM
BENE SIT.



ANNO

CIↃ IↃ C XLIX.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0005
Mecklenburg Vorpommern

CHRISTO SERVATORI
AVCTORI VITÆ, TRIVMPHATORI MORTIS:
MEMORIÆQVE
AMPLISSIMI ET OPTIMI VIRI,

PETRI OVERBEQVII

BELGÆ,
QVI PIETATE IN DEVM, CARITATE IN PROXIMVM, RELIGIONIS ZELO, IVSTITIÆ STVDIO, BENIGNITATE ERGA PAVPERES, HVMANITATE ERGA OMNES CLARISSIMVS,
QVVM EGREGIAM IN HIS TERRIS VITAM EGISSET,
AD MELIOREM, QVÆ IN COELIS EST, TRANSLATVS
INGENS SVI DESIDERIVM BONIS OMNIBVS RELIQVIT,
HVNC DE IMMORTALITATE ANIMÆ ET RESVRRECTIONE CARNIS LIBRVM
SACRVM ESSE VOLUIT IVSSITQ;

GEORGIVS CALIXTVS.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0007
Mecklenburg Vorpommern

CLARISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO

MATTHIÆO OVERBEQVIO,

STVDIORVM PIETATIS ET SAPIENTIÆ CVLTORI ET PATRONO EXIMIO.

S.D.

GEORGIVS CALIXTVS.

QVum superiore auctumno ex literis amici de obitu fratris tui cognovissem, optime MATTHIA, nolo diffiteri, perculsum me esse & vehementer indoluisse, cùm tuo, tùm meo, tũ publico nomine. Tuo quidem, quem, quo affectu fratres prosequerere, nossem, & inde, quantum ex hoc tristi discidio mœrorem concepisses colligerem; meo, qui tanto, mei admodum cupido, amico orbarer: publico verò, quòd quo erga litteras & studia animo fuisset, & quàm promtè beneficientiâ & patrocinio suo liberalia ingenia fouisset, cognitum perspectumq; haberem. Te dolori tuo moderari & optabam, & ut pietatem constantiamq; tuam noram, mihi promittebam. Neque enim frustra à Te diu & seriò culta divinæ & humanæ sapientiæ studia; quæ, si umquam, in adversis & tristibus casibus subvenire & cultoribus suis gratiam referre oportet. Non itaq; sperabam modò, sed planè certus eram, Te casum hunc, quamvis acerbum, animo forti, & ut Te Tuâq; virtute & sapientiâ dignum esset, toleraturum. *Non sentire mala sua*, ait alicubi Seneca, *non*

est

est hominis: & non ferre, non est viri; nedum Christiani. Parces Tibi, ut optimis studijs & ingenijs diu superfis; quæ quàm diu Te habebunt, (atque utinam habeant diutissimè!) jacturam, quam in obitu fratris tui, viri munificentissimi, fecerunt, minùs sentient. Ego verò mihimetipsi non satisfaciebam, nisi virum optimum, & de me, dum viveret, optimè meritum ex hac terrenâ ad cœlestem vitam evocatum, aliquo scriptionis & ingenij monumento prosequerer, & æternæ, quantum in me esset, memoriæ consecrarem. Carmen pangere, cui rei in adolescentiâ incumbere aliquando solebam, dudum desij; & si maximè non desijssem, per hasce tamen perversissimorum temporum turbas & tempestates, quod eruditis auribus dignum foret, extundere non possem. Existimabam itaq; magis seriam utilemq; operam me navare, si doctrinam, quam res ipsa suggerere & exigere videbatur, de immortalitate animæ & Resurrectione carnis in manus sumerem, & ex Scripturâ & Antiquitate expositam atque illustratam in memoriam fratris tui publicis usibus donarem. Fiet enim, ut qui has lucubrationes legent, aut iis studia sua juvari sentient, memoriam viri, cujus honori id, quantumcumq; est operæ, dedimus, gratam habeant. Conatus autem sum, si non omnia, certè pleraq;, quæ in doctrinâ illâ, Christianismi fundamento, hominem neq; inelegantem neq; indoctum cognitu habere decet, ex Scripturâ & Antiquitate eru-

ere, & plana facere, ut ſtudia eorum, qui ex juventute noſtrâ eruditæ pietati operantur & Theologiam ſeriò tractant, quàm maximè poſſem, adjutum irem. His enim, quidquid in me eſt ingenij & virium addixi; his beatus frater tuus conſultum cupiebat; & ut, quàm fieri poteſt, rectiſſimè conſulatur ipſe nec induſtriæ nec ſumtibus parcis. Sanè, quod non ſine magnâ triſtitiâ ſcribo, ſacra eruditio paſſim deſideratur, & ſtudia ad eam facientia jacent & frigent, ſive quòd pravo ævi more pauci bene nati animum illis adjiciant, ſive quòd ipſi, qui adjecerunt, vel idoneis præceptoribus vel neceſſariis impenſis deſtituantur. Etiamſi eccleſiæ facies miſera hodiè ſit, ut quæ miſerrima; in dies tamen miſerior erit, majoresq; exorientur, quamvis pridem exortæ ſint nimis magnæ, confuſiones & diſſenſiones, niſi noſtri Deus miſereatur, & tanto malo maturis & accuratis conſiliis obuiam eatur. Tu quidē toto pectore in eam curam incumbis, & opum, quarum diſpenſationem Deus Tibi credidit, haut parum impendis. Quem animum ſi plures tui loci & fortunæ homines induerent, haut paullò meliùs cùm eccleſia tum reſpublica haberent. Ego præter propenſam voluntatem, quam unam egregiam polliceor, modicam induſtriam & aliquam ingenij doctrinæque ſupellectilem, quæ tamen quàm mihi tenuis ſit, nemo memetipſo rectiùs novit, nihil vel promittere poſſum, vel adferre. Specimen eſto hic ipſe liber; in quo, ſi

non

nonnemo quæ juvent aut delectent, invenerit, habebit, quod Tibi & memoriæ τῶ ἐν ἁγίοις fratris tui, cujus elogium ex fide & vero præscripsi, acceptum ferat; sin multò plura desideraverit, erit, quod mihi, & publicis calamitatibus, & privato luctui imputet. Visum enim fuit Deo, dum hæc commentarer, quam altè in meum ipsius pectus descendissent, experimento probare. Conatus nihilominus sum præstare, ne nullum operæ precium lectores facerent; quod tamen eò majus facient, quò citius & alacriùs auctores, quos passim laudavi, adierint. Eorum autem copiam quia plerisq; studiosis non esse probè noram, benè multa loca pleniùs aliquanto adscripsi, ut gustum antiquissimorum & probatissimorum scriptorum, quem fortè per suam inopiam non possint, meâ saltim operâ aliquem consequantur. Vale amicorum opt. max. Dabam in academiâ Iuliâ, haut ita pridem frequentissimâ & florentissimâ; nunc, heu! dissipatâ & propemodum desolatâ. DEVS, qui potens est è morte in vitam revocare, ipsam in pristinum decorem restituat; & Te nobis: Tibi superstitem fratrem amplissimum virum IVSTVM Overbequium, amicum nostrum; utrique suos & beati fratris liberos; & integras omnium trium familias propicio numine servet & sospitet. KL. Iun.

CIↃ IↃC XXVII.

SVM-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0011
Mecklenburg Vorpommern

SVMMÆ CAPITVM.

I. Animæ proprium bonum non esse mortale, quòd sit ipsa immortalis; & hoc præter alios agnovisse etiam barbaros, patrum & nostrâ memoriâ detectos.

II. Optimos quosq; Philosophorum immortalitatem animæ agnovisse, & rationibus demonstrasse.

III. Animæ immortalitatem nonnullis, qui Scripturam recepe-rint, nihilominus negatam fuisse; iisq; Scriptura opponitur.

IV. Scripturam docere præter animæ immortalitatem, carnis quoq; resurrectionem à multis hæreticis, antiquis præsertim negatam.

V. Resurrectio mortuorum é disputatione Servatoris cum Saducæis habitâ, probatur; additis quæ in eam rem exstant, Veteris testamenti dictis.

VI. Resurrectio mortuorum prolatis pluribus Novi testamenti dictis probatur; & præsertim ex prioris ad Corinthios capite XV.

VII. Quid prisci ecclesiæ doctores de Resurrectione scripserint & quomodo contra paganos, tum etiam contra hæreticos eam defenderint.

VIII. Argumenta veteribus usurpata examinantur & considerantur typi, ut dilucidùs pateat, è lumine naturæ Resurrectionem demonstrari non posse; quamquam de possibilitate & convenientiâ ejus secus sit.

IX. Idem numero corpus resurgere. Quæ Origenes ejusq; adsecl æ contrâ objecerint, diluuntur.

X. Vniversalem Resurrectionem fore, ex Dei omnipotentiâ & decreto.

XI. Concluditur liber, & quanta vis consolationis à fide Resurrectionis pendeat, ostenditur.

DE

עמי עשו

DE IMMORTALITATE ANIMÆ ET RESURRECTIONE CARNIS

Liber unus.

PRINCEPS ET FVNDAMENTALIS DOCTRINA E TRIBVS ECCLESIÆ CATHOLICÆ SYMBOLIS APOSTOLICO, NICÆNO SIVE CONSTANTINOPOLITANO, ET ATHANASIANO.

Credo in JESVM CHRISTVM, qui sedet ad dexteram DEi Patris omnipotentis, unde venturus est ad judicandum vivos & mortuos. Credo carnis resurrectionem & vitam æternam.

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0013
Mecklenburg Vorpommern

Credo in Dominum Iesum Christum, cujus regni non erit finis: & exspecto resurrectionem mortuorum & vitam venturi seculi.

Christus Servator noster, qui conscensis cœlis sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus est, ut judicet vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgent cum corporibus suis, & reddent de factis suis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum.

Caput I.

ANIMÆ PROPRIVM BONVM NON esse mortale, quod sit ipsa immortalis; & hoc præter alios agnouisse, etiam barbaros patrum & nostrâ memoriâ detectos.

NEmo dubitat, neq; dubitare potest, quin vnicuiq; rei suus quidam finis conueniat, suum bonum & sua perfectio. Nec Deus enim, nec natura quicquam frustra faciunt aut producunt: sed omnia pro-

propter finem. Quidquid etiam agit & operationem aliquam exercet, siue cum cognitione operetur, sive absq; cognitione; id omne operatur propter finem; atq; adeo aliquod bonum tendit; quum finis esse nequeat, quod boni rationem non habet. Et licet discrimen sit, quòd quæ intelligunt, semetipsa in finem moveant, & agant cognoscendo finem & media, interq; sese conferendo & hæc ad illum ordinando; quæ verò non intelligunt, moveantur potius per naturalem inclinationem: utraq; tamen, uti diximus, agunt propter finem, siue in finem tendunt. CAP. I.

II. Constat præterea, unamquamq; rem si bonum & finem suum adæquatur, perfectam esse, siue, si natura sit intelligens, beatam. Nam, ut docet nos Augustinus, *nullum animal, quod scientiâ caret, beatum esse potest*, & *non cadit in rationis expertia, ut beata sint*. Contrà verò imperfectam, miseram & infelicem esse manifestum est, si fine & bono suo excidat ac privetur. 1. 83. q. 1. art. qu. 5.

III. Perfectionem autem suo perfectibili proportionatam oportet esse, ut minor aut deterior non sit reperficienda. Neq; enim perfectio foret, si suum subjectum perficere non posset, sive illam potentiam, quam habet ad perfectionem, actuare & exhaurire, ad petitumq; eius sufficienter explere. Rebus itaq; mortalibus & caducis mortales quoq; & caducæ conuenient perfectiones, quæ nimirum eas, quamdiu durant, adficiant & perficiant. Sin verò quæquam res æterna sit & immortalis, bonum quoq; ejusdem tale erit; neq; poterit ipsum sine absurditate collocari in quopiam, quo suâ naturâ fragile, fluxile & interitui sit obnoxium. Quum itaq; homo animâ præditus sit rationali,

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0015
Mecklenburg Vorpommern

CAP. I. quæ immateriata, indissolubilis & immortalis est; huic quoq; tale bonum conueniet, quod mensuram ac durationem corporis excedat, & cum ipsâ animâ immortali post discessum à corpore perennet. Hoc igitur ipsa si potita fuerit, felix & beata erit ac censebitur: sin verò exciderit, extremis miseriis implicabitur.

IV. Felicitas autem siue beatitudo, ut hoc quoq; brevibus explicemus, *omnia optanda complectitur*, quemadmodum alicubi loquitur Augustinus; &, ut pleniùs Boëthius, *id est bonum, quo quis adepto nihil ulterius desiderare queat. Quod quidem est*, ait, *omnium summum bonorum, cunctaq; intra se bona continens: cui si quid abesset, summum esse non posset, quoniam relinqueretur extrinsecus, quod posset optari. Liquet igitur*, inquit, *beatitudinem esse statum bonorum omnium congregatione perfectum.* Et hanc definitionem siue descriptionem tamquam commodam scholæ receperunt. Potest quoq; beatitudo dici possessio boni summi & perfectissimi, quod quia summum, nulli alteri, tamquam medium, subjicitur, siue ad aliud superius & maius consequendum minimè ordinatur; quia perfectissimum, omnem defectum & indigentiam excludit, & habenti sese dat, ut ei perfectè benè sit.

4. & C. D. 21.

3. de consol pr. 2.

V. Porrò animam nostram rationalem ab interitu liberam post suum à corpore discessum supersesse adeo communi opinione receptum est, ut gentes quantumvis barbaræ inficias non ierint, eamq; ob rem de eius post hanc vitam statu solliciti fuerint. Getæ apud Herodotum Thracum justissimi & fortissimi *mori se non putant, sed eum, qui defunctus fuerit, meare ad Zamolxin.* Aegyptii apud Diodorum Siculum *parentes & majores suos ad æternam habitationem translatos autumant.*

lib. 4.

Biblioth. l. 1. nū. 93.

VI. Ad-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0016
Mecklenburg Vorpommern

VI. Addamus nonnulla, quæ de barbaris noſtri ſeculi è relationibus nauigantium comperta habemus. Deſcriptio regni Africani Guineæ, quæ primùm à Batavis edita, & poſt latina facta eſt, narrat, regni ejus incolas de alterâ vitâ & extremo judicio interrogatos reſpondiſſe, *ſe quidem extremum judicij diem prorſus ignorare*; Cap. I. Cap. 21. adfirmaſſe tamen, *aliam eſſe rationem hominum, & aliam pecorum*, licet quæ hominum poſt mortem conditio foret, prorſus ignorarent, neq; ſcirent, an locus ille, quo transferrentur, ſupra vel infra terram eſſet: *ſe nihilominus de ſupellectile ſolere partem aliquam defunctis adſignare, ut quocunq; tandem venirent, haberent, quod ad uſus quotidianos neceſſarium eſſet. Hinc patet*, inquit auctor, *credere quidem eos aliquo modo vitam poſt hanc aliam ſupereſſe, ſed reſurrectionem mortuorum prorſus ignorare, exiſtimantes ſe ſimul atq; moriuntur, in alterum mundum transferri, ubi variâ ſuppellectile perinde ac in hoc mundo, indigeant; unde ſi aliquid fortè perdant, eiusmodi ſtatim concipiunt cogitationes, veniſſe forſitan aliquem amicorum ſuorum ex altero mundo, & illud abſtuliſſe, quòd eo carere diutius non potuiſſet.* Atq; hinc factum (quod ſuo poſteà loco commemoratur) ut ſinguli nobiles qui Cap. 44. in aulâ Regi miniſtrarunt, ei defuncto mancipium aliquod largiantur, cujus miniſterio in altero mundo utatur. Quin additur, alios è mulieribus ſuis unam, alios è filijs unum offerre, atq; hos in opinatò & nihil tale cogitantes trucidari, ne animadvertant, ſibi cum Rege in alterum mundum proficiſcendum eſſe; omnes verò cum Rege contumulari, ut unà iter faciant.

VII. Chinenſes, quorum religio purè pagana, ſine contagio Mahumetiſmi, *credunt omnes immortalitatem animæ, atq; poſt hanc vitam retributionem bonorum malorum-*

CAP. I. *ue, prout quisq; bona malaue gesserit, & ob id monumenta sepulchralia magnificè excisa defunctis statuunt. Credunt in altero mundo vitam*

par. I, c. 25. *immortalem esse.* Hæc de ijs testatur Ian. Hugo Linschotanus.

IIX. De Peruanis gente barbarâ superiori seculo derectâ, quæ Iosephus Acosta scribit, subiungam, quibus

l. 5. c. 7. gemina habet Hieron. Benzo *historiæ noui orbis lib. III. c. XX.* Verba Acostæ hæc sunt: *Indi, qui in Peru habitant, animas hominum immortales esse, ac pios vitam æternam, impios autem æternam damnationem manere credunt. Ideoq; ad huius articuli fidem suscipiendam adduci facile possunt. Corpora verò vnà cum ipsis animabus aliquando resurrectura esse minimè ignorabant.* Atq; hinc scribit factum esse vt de alterâ vitâ solliciti mancipia in exsequijs suorum mactarent, quæ ibi à ministerijs essent. *Quinimo*, inquit, *mortuis, quoq; argentum in os manusq; ac sinus imponunt, ac duplici veste cadauera induunt: siquidem persuasum habent defunctorum animas passim oberrare, & varias adfectiones frigoris, inedia sitisq; ac dolorum perpeti. Quâ causâ etiam quotannis vigilias ac supplicationes ordinarias instituunt & defunctis tum cibos tum potus ac vestes necessarias subinde conferunt.*

Cap. 8. IX. Mox de Mexicanis idem ferè narrat; in exsequijs magnatum mori coactos, qui viuentibus inseruiendo præsto fuissent, vt eadem in altero quoq; seculo operas præstarent, ne quâ fors ibi commoditate domini destituerentur. *Eodem etiam fine*, inquit, *vnà cum defunctis tot thesauros auri, argenti, & gemmarum conspeliebant.*

X. Epuremeos indigenas auriferæ prouinciæ Guianæ cum Peruanis religione & opinionibus conuenire

Descript. Guianæ. testis est Gualtherus Rhaleg, scilicet *credere eos immortalia-*

stitatem animarum, adorare solem, & uxores quas habuerunt carissimas, uti thesauros quoq; suos, sepeliendos secum curare Orenequeponos autem *non sepeliri quidem cum uxoribus, sed cum omnibus suis thesauris, sperare enim & credere, se post hac tempora illis rursus potituros.* Cap. 8

XI. Tououpinam baultij incolæ Brasiliæ feri & ἀνθρωποφάγοι, de quibus scribit Iohannes Lerius annum inter eos versatus, *se non credere, gentem ullam in toto terrarum orbe esse, quæ ab omni religione sit magis aliena*; ijdem tamen, ipso teste, *non modò immortalitatem animarum credebant, sed pro certo quoq; habebant, post mortem eorum animas, qui virtutem coluerint (virtutem autem illi definiunt suo more, nempe ulcisci de hostibus, & quam plurimos mandere) post altissimos montes evolantes patrum & avorum suorum animis aggregari, ibiq; in amœnissimis hortis perpetuis delicijs ac tripudijs lætũ ævum agere: ignavorum contrà manes, qui sine ulla propugnandæ patriæ cura inglorij vixerint, abripi ab Aygnan (sic illi Cacodæmonem vocant) & cum eo sempiternos inter cruciatus viuere.* Cap. 16.

XII. De incolis Virginiæ Thomas Hariot Anglus hæc prodidit: *Animæ immortalitatem etiam credunt, eam statim atq; à corpore soluta est, transferri secundum opera quæ fecit, vel ad Deorum sedes ad perpetuam felicitatem fruendam, vel ad ingentem fossam seu scrobem (quam in extremis mundi finibus procul ab ipsis versus occidentem sitis, esse censent) ad perpetuum ignem: eum locum ipsi* POPOGUSSO *appellant.* Narrat de commodis & ritibus Virg.

XIII. Hæc illi homines, à nobis toto orbe divisi, nec locorum minùs intervallis, quàm moribus & disciplinis. Dicuntur barbari, & sunt quoq;. Eorum itaq; extemplo ostendere volui, quòd de immortalitate animæ, & hujus post obitam mortem beatitate vel miseriâ

CAP. II.

riâ constans ubiq; gentium stet sententia, è principijs naturæ hausta, quæ videri queat non tam addiſci, quàm connasci. *Omni* enim *in re consensio omnium gentium*
1. Tuscul. *lex naturæ putanda est*, ut rectè Tullius. Simul animadvertere licet, ut ijs quæ vera quidem sunt & è lumine naturæ legitimè deducta, superstruxerint falsa, vana & impia. Verum est, animas esse immortales, ijsq; post suum à corpore discessum bene fore vel malè: at falsum est felicitatem ob victoriam ab hostibus reportatam obvenire; vanum est, supellectilem quasi in altero orbe vsui futuram contumulari; non autem vanum modò & superstitiosum, sed impium quoq; est homines eo fine trucidari, ut defunctorum in æternâ vitâ commodis prospiciatur. Interim tamen unanimis omnium sententia: *Sunt aliquid manes, lethum non omnia finit.*
Nam & de communi receptoq; hoc consensu fidem faciunt opiniones vulgatæ gentilium, sive fabulæ de manibus, campis elysijs, tartaro; à Poëtis quoq; Homero,
Odyss. λ. AEneid. 6. Fast. 2. Virgilio, Ouidio decantatæ. Ipsæ enim immortalitatem animæ quasi fundamentum substernunt, & nisi hac positâ enasci non potuissent.

CAPUT II.

Optimos quosq; Philosophorum immortalitatem animæ agnouisse, & rationibus demonstrasse.

VErùm ne quis existimet, non nisi barbaros, vulgus, Poëtas à nobis produci posse, in diuersâ autem fuisse sententiâ, qui rectiùs & accuratiùs rem examinare didicissent, à studio sapientiæ Philosophorum titu-

los adepti: addimus de consensu philosophorum, quod attinet immortalitatem animæ, dubitare neminem posse, qui scripta eorum, quæ hodie in omnium manibus versantur, inspexerit. Epicurus à cæteris divortium fecit, & sententiam se dignam amplexus est: unde adsecla ejus Lucretius libro, quem de naturâ rerum scripsit tertio, bonis quidem & elegantibus versibus, sed malis argumentis immortalitatem animæ oppugnat, & probare conatur, Cap. II.

——— *nativos animantibus, & mortales*
Esse animos, animas q; leves.

Quin imò, ut loquitur M. Tullius, *catervæ veniunt contradicentium, non solùm Epicureorum, sed & Dicæarchus contra hanc immortalitatem disseruit, & tres libros scripsit, in quibus vult efficere animos esse mortales.* Ita quoq; Panætius *interire vult. Stoici autem usuram nobis largiuntur, tamquam cornicibus: diu manssuros ajunt animos, semper negant.* 1. Tuscul.

Certè iidem apud Laërtium animam esse opinantur τὸ συμφυὲς ἡμῖν πνεῦμα, διὸ καὶ σῶμα εἶναι, καὶ μετὰ θάνατον διαμένειν, φθαρτὸν δὲ εἶναι. Item Κλεάνθης μὲν πάσας διαμένειν μέχρις ἐκπυρώσεως, Χρύσιππος δὲ, τὰς τῶν σοφῶν μόνων, *Cleanthes omnes permanere statuit usq; ad conflagrationem: Chrysippus verò solas sapientum.* Ἐκπύρωσιν quam intelligant illi, suo loco explicabitur. Plinius haut optimi sensus Philosophus alicubi sententiam de immortalitate animarum ridet. *Puerilium*, inquit, *ista deliramentorum, avidæq; nunquam desinere mortalitatis commenta sunt.* Iuxta ipsum autem *omnibus â supremâ die eadem, quæ ante primum: nec magis à morte sensus ullus aut corpori aut animæ, quàm ante natalem.* Lib. 7. Zenone.

II. Contra hos sententiam dicunt optimi quiq;.

Car. II. Pherecides Syrus teste Tullio; primus vel inter primos: & hujus discipulus Pythagoras, qui quum sciret, animam esse immortalem, nec tamen cognitum haberet, quid eâ post abitum è corpore fieret, μετεμψύχωσιν introduxit. Hinc ab Ovidio ita loquutus introducitur:

1. Tuscul.

15. Metam. v. 158.

Morte carent animæ, semperq; priore relictâ
Sede, novis domibus vivunt, habitantq; receptæ.

Hanc opinionem sequuti Druides Gallorum; qui apud Cæsarem *inprimis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios.* Vt autem hi cum Pythagora, ita Brachmanes Indorum Platoni, si quam eâ in re Strabo fidem meretur, similia sensere ὡσὶ τε ἀφθαρσίας ψυχῶν, καὶ τῶν καθ' ᾅδου κρίσεων. Qui verò hodie apud Indos supersunt Brachmanes, antiquorum fortè posteri, Pythagoræ discipulos se profitentur, teste Linscotano; & *credunt quòd anima immortalis sit, sed ita tamen, ut ex uno corpore in aliud transmigret, nec esse differentiam sive in brutum sive in humanum corpus involet, prout quis q. vel bene vel malè egerit.*

lib. 6. de bello Gallico.

lib. 15.

part. 1. cap. 38.

III. Quin hanc Pythagoricam μετεμψύχωσιν, quam *reciprocum discursum & recidivatum animarum* appellat Tertullianus, Pharisæis olim receptā & creditam fuisse, jure quis miretur. Attamen ita se habet, quum scribat Iosephus, quòd doceant *animam quidem omnem incorruptam esse, transire autem in alia corpora solas bonorum; improborum verò interminabili supplicio cruciari.* Eadem alibi, licet verbis alijs: *Animas*, inquit, *credunt esse immortales, & sub terris earum judicia fieri, tum præmia cuiq; contingere ex virtutis aut malitiæ merito; & has perpetuis damnari carceribus, illis facilem esse ad vitam reditum.* Sanè μετεμψύχωσιν in animo habuisse videntur Herodes tetrarcha & Iudæi, Chri-

lib. de anim. c. 28.

Belli lib. 2. c. 7.

Antiq. lib. 18. c. 2.

Christum Dominum vel Iohannem Baptistam, vel Eliam, vel Ieremiam, vel alium quendam antiquorũ Prophetarum esse rati. Cap. II. Matth. 14. 2. 16, 14. Luc. 9. 7.

IV. Apud principes Philosophorum immortalitas animæ res certa & liquida; Platonem dico cum Socrate suo & Aristotelem. Nam & Tullio, utut Stoicis amico, *plebeij Philosophi appellandi videntur, qui à Platone & Socrate & ab illâ familiâ dissident.* Plato igitur ex instituto hanc rem tractat in Phædone; quo lecto libro Cleombrotus Ambraciota, ut ex epigrammate Callimachi idem narrat Tullius, *quum nihil ei accidisset adversi, è muro se in mare abjecit.* Eum Hieronymus stultæ philosophiæ martyrem alicubi vocat. Sanè epigramma Callimachi, quod hodie tertium Anthologias claudit, an irrideat vel commendet, incertum est. Ipsum, quoniam minimè prolixum est, inseramus: 1. Tuscul. ep. 25.

Εἴπας ἥλιε χαῖρε Κλεόμβροτος ὠμβρακιώτης,
Ἥλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς ἅλαδε,
Ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακὸν, ἀλλὰ Πλάτωνος
Ἐν τῷ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος.

Cæterùm qui volet, Platonem in Phædro quoq;, in Timæo, in Philebo, in X de repub. de eadem animæ immortalitate differentem adire potest. Platonem autem quando produxi, nihil opus esse arbitror, Platonicorum seorsim meminisse. Eos enim paria cum magistro suo sentire nemini potest esse dubium.

V. Aristotelis illa notentur, quæ sunt in libris quos de Anima inscripsit. Primo *cont.* 65 & 66. intellectum dicit οὐ φθείρεσθαι, & quid divinum esse, καὶ ἀπαθές. Secundo, *con.* 21. intellectum & potentiam contemplativam animæ genus esse diversum. καὶ τοῦτο μόνον χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον

Cap. II. τῆ φθαρτῆ. Tertio *cont.* 4. 6. 7. docet ipsum, quum universa intelligat, neq; mistum esse, neq; corporeum: item separabilem esse à corpore, quum tamen sensus separari non possint. Eadem repetit *cont.* 19; & *cont.* 20. conceptis verbis ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον pronunciat. Adde è secundo de generatione animalium: λείπεται τὸ νῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια.

Cap. 3.

VI. Non est hujus loci neq; nostri instituti examinare opiniones duorum Aristotelis interpretum, unius Græci, Arabis alterius, Alexandri inquam Aphrodisæi & Averrois, quas ipsi ex Aristotele videri volunt hausisse: revera tamen Aristotelis sententiam involunt & pervertunt. Vterq; intellectum agentem, quem solum immortalem esse admittunt, extra hominem ponunt. Et eum quidem Alexander primam Intelligentiam & omnium rerum caussam Deum esse vult; Arabs aliam secundam & separatam: atq; ita uterq; unicam numero mentem in totâ humanâ specie ponunt; uterq; principium functionis intelligendi, quæ per se & proprijssimè humana est functio, extra hominem statuunt & vitalem hominis actionem non inhærenti & informanti formæ, sed extrinsecùs adsistenti tribuunt. Petrus quoq; Pomponatius ad opinionem Auerrois adludens ea superiore seculo disputavit, quibus censuram Leonis X. Pontificis in Concilio Lateranensi provocavit. His enim verbis perstringitur: *Nonnulli temerè philosophantes secundum saltem philosophiam verum id esse adseverant*, nempe quòd anima rationalis mortalis sit, & unica in cunctis hominibus. *Contra hujusmodi pestem*, ait Leo, *oportunare-media adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio damna-*

sess 8.

mus

mus & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus. CAP. II.

VII. Galenus etiam, Medicorum post Hippocratem coryphæus, animæ immortalitatem vel negavit, vel in dubium vocavit. Quamvis enim alicubi ita loquatur, ut ab eâ admittendâ minùs alienus videri potuerit, libro tamen, *Quòd mores temperamentum corporis sequantur,* Platonem ob adsertam animi immortalitatem reprehendit. Sed ipsum vicissim haut inscitè Isidorus Pelusiota, magni Chrysostomi discipulus: *De curatione corporum*, ait, *quoniam in hac arte excellens fuit artifex vir ille, loquatur sanè suo arbitratu: de animâ verò certamen cum sapientibus ne suscipiat, neq; descendat in luctam, ad quam neq; est exercitatus, neq; præmeditatus,* μηδὲ ἀθλητὴς ὢν τὴν μουσικὴν κρινέτω. μηδὲ περὶ τὰ σώματα ὁλὴν ἑαυτοῦ κενώσας τὴν σύνεσιν, περὶ ψυχῆς δογματιζέτω. μηδὲ πιστευέτω, ἐν τῷ κατασκευάζειν τὴν ἁρμονίαν τῶν στοιχείων εἶναι ψυχήν. l. 4. ep. 125.

IIX. Sed nos his omissis pergamus, & audiamus addentes sua suffragia duos è subsellijs Quiritium sapientes. Marcus Tullius sub personâ Lælii *non adsentitur iis, qui disserere ceperunt, cum corporibus simul animas interire, atq; omnia morte deleri. Plus,* inquit, *apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt: quod non fecissent profectò, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur; vel eorum qui in hac terrâ fuerunt, magnamq; Græciam institutis & præceptis suis erudierunt; vel ejus, qui Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus, qui nõ tum hoc tum illud, ut in plerisq;, sed idem dicebat semper, animos hominũ esse divinos, ijsq; quum è corpore excessissent, reditum ad cœlum patere: optimoq; & justissimo cuiq; expeditissimum.* Item: *Vnum illud erat insitum priscis illis, quos* CAS- de amicitiâ.

Cap. II. 1. Tuscul. COS appellat Ennius, esse in morte sensum, neq; excessu vitæ sic deleri hominem, ut funditùs interiret. Sed ne nudâ auctoritate niti videatur, rationes in medium adducit, ut philosophum agnoscas. Ibid. *Animorum*, inquit, *nulla in terris origo inveniri potest: nihil enim est in animis mixtum, atq; concretum, aut quod ex terrâ natum, atq; fictum esse videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura provideat, & complecti possit præsentia: quæ sola divina sunt. nec invenietur umquam, unde ad hominem venire possint, nisi à Deo. Singularis est igitur quædam natura, atq; vis animi, sejuncta ab his usitatis, notisq; naturis. Ita quidquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cæleste & divinum est, obeamq; rem æternum sit, necesse est.* de Senectute. Et alibi: *Sic mihi persuasi, sic sentio, quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorumq; prudentia, tot artes, tantæ scientiæ, tot inventa, non posse eam naturam, quæ res eas contineat, esse mortalem.*

IX. Seneca immortalitatem animorum nullibi non inculcat, ut in hoc uno totus esse videatur. Quò igitur plura proferre possem, eò paucioribus contentus ero, ne lectoribus tædium obrepat, ipsiq; admoneantur, rectè se facturos, si auctorem evolvant. Consolatione C. 24. ad Marciam: *Animus nititur illo, unde dimissus est: ibi illum æterna requies manet, pro confusis crassisq; pura & liquida visentem.* C. 11. Ad Helviam matrem: *Corpusculum hoc, custodia & vinculum animi, huc atq; illuc jactatur. In hoc supplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercentur. Animus quidem ipse sacer & æternus est, & cui non possit injici manus.* Atq; hinc quasi generoso nisu se attollit epist. LXV. *Non quæram*, inquit, *quis sit artifex hujus mundi, quâ ratione tanta magnitudo*

in

in legem & ordinem venerit, quis sparsa collegerit, confusa distinxerit, nimiâ deformitate latentibus faciem diviserit: unde lux tanta fundatur: ignis sit, an aliquid igne lucidius? Ego ista non quæram? ego nesciam unde descenderim? semel hæc mihi videnda sint, an sæpe? Nesciam quò hinc iturus sim? quæ sedes exspectet animam solutam legibus servitutis humanæ? Vetas me cœlo interesse, id est, jubes me vivere capite demisso? Major sum, & ad majora genitus, quàm ut mancipium sim mei corporis: quod equidem non aliter adspicio, quàm vinculum libertati meæ circumdatum. Epist. CII. *Alia origo nos exspectat, alius rerum status. Nondum cœlum nisi ex intervallo pati possumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice. Non est animo suprema, sed corpori.* Et: *Dies iste, quem tamquam extremum reformidas, æterni natalis est.* Hinc animadvertere est, quàm rectè & doctè Tertullianus: *Quædam & naturâ nota sunt, ut immortalitas animæ penes plureis, ut Deus noster pene omneis,* Εἰ γὰρ καὶ περὶ ἄλλα τινὰ δόγματων τῆς ἀληθείας, ἐν τούτῳ κατὰ σκοπὸν ἐνέχθησαν, ut rectè Isidorus Pelusiota.

Cap. II.

de resurr. carnis Cap 3. l. 4. ep. 125.

X. Produximus quidem testes ex Academiâ, Liceo, Stoâ: verùm haut opus est auctoritatibus diu immorari, quum in promtu sint rationes, & quidem evidentes, à philosopho ad evincendam animæ immortalitatem proferri solitæ. Adsumit enim ille operationes Intellectus, qui concipit & cognoscit omnium rerum genera, omnes naturarum gradus, res etiam spirituales, ut Deum & Intelligentias, nec sicut sensus corporei, excellentibus ejusmodi objectis percipiendis læditur aut debilitatur, sed potius perficitur; reflectitur supra semetipsum, & quid ac quomodo cognoscat, intelligit; à singularibus universalia abstrahit, eaq; immaterialiter & universaliter speculatur; præteritorum etiam & futu-

rorum

Cap. II.

rorum rationem habet, illa cum istis comparat & quod ex usu fuerit, colligit. Operationibus intellectus addit operationes Voluntatis, quæ in omne bonum fertur, quemadmodum intellectus in omne verum; delectatur rerum omnium pulcritudine, & admirando, quod in singulis relucet, artificio, actionibus etiam justis & honestis & liberalibus disciplinis; libera est, & ipsa suas actiones specificare, ac ad alterutram partem oppositorum determinare valet; repugnat etiam sæpenumerò corpori suo, dominatur adfectibus ejus, & contrà, quàm illi instigant, operatur. Ex hisce, inquam, immateriatis & spiritalibus animæ rationalis actibus colligit philosophus immateriatam & spiritalem potentiam, quum proportionentur sibi invicem actus & potentia, & circa objectum à materiâ vel re vel ratione abstractum nulla materiata potentia occupetur, aut actum hujusmodi elicere possit. Operatio igitur, quia potentiam sequitur, & potentia substantiam, unde effluxit, rectè hinc colligit philosophus, animæ substantiam immateriatam, incompositam, nullique corruptioni aut interitui obnoxiam. Animus itaque hominis æternus est, & quia æternus est, nihil non-æternum eum implet, nec tempus, nec locus, nec vita, nec voluptas, nec honor, nec imperium, nullum denique bonum quantumvis maximum, quando tanquam mortale & aliquando desiturum adprehenditur; in nullo horum sibi ipsi satisfacit, aut adquiescit. Sed philosopho sua argumenta relinquamus, vel potius ea præsupponamus, & veluti in promtu adservemus, ut quum opus fuerit, arma etiam in eos, qui scripturam non recipiunt, expedire queamus.

II. Cer-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0028
Mecklenburg Vorpommern

XI. Certum enim est, sublatâ è mentibus humanis sententiâ de animarum immortalitate, & positâ contrariâ de interitu earum persuasione, tolli quoq; & everti non modò omnem numinis cultum & reverentiam, universamq; religionem, sed quicquid est inter homines probitatis, virtutis, justitiæ & honestatis; introduci contra & stabiliri studium deliciarum & voluptatum corporis, vitamq; quæ tota explendis carnalibus desideriis dedita sit, & in ejusmodi jucunditatibus & delectationibus summum bonum collocet. Quòd si enim anima ejusdem est naturæ & conditionis cum carne & corpore, quare alia quàm quæ carni & corpori grata fuerint, sectetur? Et si nihil hominis post interitum carnis super est, & tanto saltim tempore durat, quanto sua caro, quare non carnis suæ curam unicè habeat, ut ejus beneficio, quàm fieri potest, diutissimè superstit? quare umquam carni suæ ægrè faciat aut adversetur? quare alia spectet, quàm quæ sint præsentia, & per quæ corpus benè habeat & sartum tectum præstetur? Cap. II.

XII. Ejusmodi improba & dissoluta vita, sive ut vulgò vocari consuevit, Epicureismus, impuritatis & iniquitatis plenissimus, negatam animarum immortalitatem necessariò consequitur, ut pulcrè in suo libro observavit & descripsit Sapiens. Primùm quidem introducit improbos, eam, quam toties diximus, immortalitatem inficiantes & deridentes. *Brevis*, ajunt, *& molesta est vita nostra, neq; remedium est adversus mortem humanam, nec cognitus est ullus, qui ab inferis reverterit. Nam casu nati sumus, posteà verò ita futuri sumus, quasi non fuissemus.* Subjungit, quomodo, hac hypothesi factâ, voluptati- cap. 3.

CAP. III.

bus se totos immergant. *Agite ergo*, inquiunt, *fruamur præsentibus bonis, & possessione hac tamquam in juventute utamur studiosè, Vino precioso & unguentis impleamur; & ne prætereat nos jucundus aër. Coronemur rosarum calyculis, antequam marcescant. Nemo nostrûm expers sit nostræ lasciviæ: ubiq; relinquamus symbola lætitiæ: nam hæc est portio nostra & sors hujusmodi.* Addit, quomodo ut habeant unde cuticulam curent genioq; indulgeant, alios spolient & affligant, suisq; adfectibus inservientes potentiâ suâ licitum & honestum definiant. *Potentia opprimamus pauperem justum, ne parcamus viduæ, neq; senis revereamur longævos canos. Sed est robur nostrum lex justitiæ: infirmitas enim deprehenditur inutilis. Insidiemur autem justo, quia incommodus est nobis & adversatur operibus nostris;* quæq; sequuntur. Tandem verò concludit Sapiens: *Hæc ratiocinantes erraverunt: etenim excæcavit eos malitia ipsorum. Et non agnoverunt arcana Dei, neq; mercedem speraverunt sanctitatis, neq; judicaverunt præmium esse animis inculpatis*, Si indignum est homine, & vox atq; sensus bruti, *Quòd non nisi corpori ejusque adfectibus & voluptatibus opera danda*; pâri quoq; loco erit, unde id sequitur & deducitur, *Quòd anima sit mortalis, & unà cum corpore intereat.*

CAPVT III.

Animæ immortalitatem nonnullis, qui Scripturam receperint, nihilominus negatam fuisse; ijsq; Scriptura opponitur.

IVre autem mireris, quod naturæ instinctu à barbaris gentibus, optimâ verò ratione à cultis & doctis, modò paucos excipias, receptum fuit sine Scripturâ, id-

ipsum

ipsum à non nullis, qui Scripturam agnoverint, negatum esse. Sadducæi olim docebant, *non esse resurrectionem, neq; Angelum neq; spiritum*, scilicet immortalem. Iosephus etiam hujus rei testis: *Sadducæorum opinio*, inquit, *cum corpore simul exstinguit & animas, nec aliud quidquam præter legem servandum existimatn* Et alibi: *Animarum generaliter vel supplicia denegant vel honores.* CAP. III. Act. 23.8. 18. Antiq. c.2. 2. Belli c.7.

II. Eusebius mentionem facit quorundam, qui tertio seculo in Arabiâ exorti, immortalitatem animarum negarint, quidem, suo tamen quodam modo, ut resurrectionem interea non tollerent, sed adsererent animam unà cum corpore exstingui, & unà cum corpore quoq; resuscitari. Verba auctoris subjungo: *Per idem tempus*, scilicet imperante Philippo, *quidam in Arabiâ dogmatis cujusdam à veritate prorsus alieni auctores nascuntur: adserentes hominum animos unà cum corporibus uno eodemq; temporis articulo morte occumbere, & penitus exstingui: at demum tempore resurrectionis universæ carnis cum eisdem vitam denuò recuperaturos* Addit autem, ipsos habitâ Synodo ad sanam mentem ab Origene reductos esse. Eorundem ex Eusebio Augustinus meminit hær. *XXCIII*; & ex Augustino Isidorus *Etymol. l. IIX.* Facit etiam Damascenus mentionem θνητοψυχίτων, *qui hominum animos pecudum animis similes inducant, atq; eos unà cum corporibus interire dicant.* 6. hist. c. 30. 1. de hæres.

III. Iohannes XXIII. Rom. Pontifex *dixit & pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore humano mori, & exstingui ad instar animalium brutorum.* Verba sunt è sessione XI. synodi Constantiensis. Nostrâ ætate Photiniani ea ponunt principia, è quibus mortalitatem animarum concludi necesse est. In Catechesi enim suâ

Cap. III. Racoviæ editâ, ut unionem divinæ & humanæ naturarum in Christo oppugnent, statuunt, *quòd duæ substantiæ proprietatibus adversæ coire in unam personam nequeant, ut sunt mortalem & immortalem esse.*

A.C. 1609. de Cognitione Christi c. 1.

IV Tertullianus quidem animæ corpoream naturam tribuit, immortalitatem tamen non adimit, sed acriter potius vindicat. Ipsum itaq; superioribus non connumerabimus. Quin ab Hilario quoq; commentario in Matthæum simile quid adsertum legimus, quod subijciemus. *Nihil est, quod non in substantia suâ & creatione corporeum sit: & omnium sive in cœlo, sive in terrâ, sive visibilium sive invisibilium elementa formata sunt. Nam & animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur: quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est.* Hæc Hilarius. Videtur autem omne creatum, quod verè subsistat, corpus appellare.

can. 5.

V. Et in eundem fere sensum Tertullianus accipiendus & interpretandus erit, qui ipsi etiam Deo corpus tribuit, *nec tamen hinc*, ut scribit Augustinus, *hæreticus creditur factus. Posset enim*, ait, *quoquo modo putari ipsam naturam substantiamq; divinam corpus vocare: non tale corpus, cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ propriè dicimus corpora: quamvis de animâ tale aliquid sentiat: sed potuit putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubiq; totus, & per locorum spacia nulla partitus, in suâ tamen natura atq; substantiâ immutabiliter permanens.* Ita quidem Augustinus. Ipsius verò Tertulliani verba libro adversus Praxeam hæc sunt: *Quis negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? spiritus enim corpus sui generis in suâ*

ad Quodvultd. hær. 16.

Cap. 7.

suâ effigie. Nos fortè diceremus: *in suâ specie*. Pergat autem: *Sed & invisibilia illa quæcumq; sunt, habent apud Deum & suum corpus & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt, quanto magis quod ex ipsius substantiâ missum est, sine substantiâ non erit?* Quod itaq; substantiam esse credit, corpus vocat, ut innuit expressiùs alio libro adversus Hermogenem scripto. *Nisi fallor*, ait, *omnis res aut corporalis aut incorporalis sit necesse est: ut concedam interim esse aliquid incorporale de substantiis duntaxat, quum ipsa substantia corpus sit rei cujusq;. Certè post corporale & incorporale nihil tertium.* Vnde de ipso Augustinus X de Genesi ad litteram; *Quod corpus esse animam credidit, non ob aliud fecit, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit, ne nihil esset, si corpus non esset.* Car. III. cap. 35. cap. 25.

VI. Excusari tamen, vel ullâ commodâ ratione explicari non potest, quod libro de Animâ ei adscribit *longitudinem, latitudinem & sublimitatem, quibus corpora metantur philosophi*; quin suarum mulierc ularum revelationibus deceptus *corporales* quoq; *lineas, & colorem aëreum ac lucidum, non tantùm*, inquit, *ex fiduciâ corporalitatis per æstimationem, verùm & ex constantiâ gratiæ per revelationem.* Imò eò progressus est usq;, ut scriberet: *Anima in utero seminata pariter cum carne, pariter cum ipsâ sortitur & sexum.* Hæc *tremenda sunt, non ridenda*, ut ait Augustinus; quem vide libri modò à nobis allegati capitibus ultimis, Tertulliani ista commenta refutantem; de quibus satis dictum esto. cap. 9. cap. 36.

VII. Si qui verò animæ immortalitatem repudient, & Scripturam tamen recipiant, aut videri velint recipere, ijs Scriptura opponatur. Narratio Servatoris de epulone & Lazaro, morte coporis haut finiri Luc. 16.

CAP. III.

omnia, clarè ostendit. Non tamen est, quod pro suâ opinione & corporeâ animâ inde quicquam colligat Tertullianus. *Dolet*, inquit, *apud inferos anima, & punitur in flammâ, & cruciatur in linguâ, & de digito animæ felicioris implorat solatium roris.---non mentiretur de corporalibus membris scriptura, si non essent* Notum enim est, cùm in parabolis, qualem hanc esse homilijs in eam scriptis rectè judicat Chrysostomus; tum passim alibi, pro ratione captus humani rebus terrenis adsueti, spiritualia ad modum corporalium describi. Ita memorantur etiam Dei oculi, minus, digiti: quod Vincentio Victori in eodem luto hærenti opponit Augustinus. Sed opinionem absurdam & omnium saniorum judicio dudum explosam, tandem missam facianus.

de animâ c. 7.

4. de orig. animæ. 16.

IIX. Servator in cruce pro humano genere mortem jam obiturus latroni pœnitenti mox itidem exspiraturo sanctè affirmat, *Hodie mecum eris in paradiso* Corpore utiq; non nisi in cruce & sepulchro; ac proinde animâ cum Servatore suo in paradiso is erat futurus. Similiter Paulus Apostolus desiderat *dimitti, & esse cum Christo.* Stephanus protomartyr lapidatus, jamque moriturus, *Domine Iesu*, ait, *recipe spiritum meum.* Spiritum itaq; post discessum à corpore superesse oportet. Iohannes in Apocalypsi *videt sub altari animas eorum, qui mactati fuerant propter verbum Dei.* Cæteris autem omissis proferemus duo saltim loca maximè perspicua, unum ex antiquo, & alterum ex novo testamento. In antiquo ita loquitur Ecclesiastes: *Redibit pulvis*, h. e. corpus è pulvere factum *in terram, quemadmodum fuit*; nempe ex terrâ factum, in terram reverti oportet: *spiritus autem redibit ad Deum, qui dedit ipsum.* Opponuntur

Luc. 23. 43.

Phil. 1. 23.

Actor. 7. 59.

c. 6. v. 9.

c. 12. v. 7.

cor-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0034
Mecklenburg Vorpommern

corpus & spiritus sive anima rationalis; & sicut sint diversæ naturæ atq; originis, ita quoq; diversum exitum sortiri dicuntur. Corpus quidem ex humo & materiâ factum, in hoc ipsum, ex quo factum redire sive resolui, hoc est, interire. Anima verò non ex aliquâ materiâ sed ex nihilo condita, *quum redit, non habet quò redeat, nisi ad auctorem, qui eam dadit*, ut scribit Augustinus lib. X. de Genesi ad litteram. In Novo fœdere apud Matthæum Servator noster incorruptibilitatem animæ & diversam à corpore naturam liquidis hisce verbis adservit: *Nolite metuere ab iis, qui interimunt corpus*, ANIMAM AUTEM NON POSSUNT INTERIMERE. Si mortalis esset, & ejusdem cum corpore conditionis, quare interimi non posset, uti corpus interimitur? Et hæc de animarum immortalitate perspicua Scripturæ testimonia.

Cap. IV.

Cap. 9.

c. 10. v. 28.

CAPUT IV.

Scripturam docere præter animæ immortalitatem, carnis quoq; resurrectionem, à multis hæreticis, antiquis præsertim, negatam.

DUcit autem nos Scriptura ulteriùs, & quò non potest ducere lumen rationis. Nam hanc immortalem animam suo iterum corpori aliquando junctum iri; & ipsum quoq; corpus immortalitatis particeps fore docet. Hæc est Resurrectio carnis, quam tamquam articulum fidei nostræ in Apostolico alijsq; catholicis symbolis credere nos Christiani profitemur. Ipsum videlicet illud corpus, à quo olim abscessit anima, quod à vermibus consumtum vel in cineres redactum fuit, per omnipotentem Dei virtutem resurget; & huic iterum sua anima unietur.

2. Re-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0035
Mecklenburg Vorpommern

CAP. IV.

II. Resurrectio itaq; carnis est nova & inseparabilis animarum, quotquot á corporibus per mortem abscesserunt, cum redivivis illis unio, futura supremo hujus seculi die, per omnipotentiam divinam; ut unusquisq; coram tribunali Christi compareat, & congruenter ad id, quod fecerit, reportet sive bonum sive malum sempiternum.

III. Dico unionem *novam*: nam pridem, quum generaretur homo, anima unita fuerat corpori, & ab eo per mortem separata nunc denuò unitur. Dico *inseparabilem*, quia numquam iterum separabitur, sed in æternum unita permanebit; quum circa eos, qui miraculosè à Christo, Prophetis vel Apostolis resuscitabantur, nova quidem unio facta fuerit, sed quæ per mortem iterum dissolveretur. Reliqua explicandi in sequentibus luculenta erit occasio.

IV. Quum autem hoc dogma dicamus articulum fidei purè & propriè, mirum videri queat, unde ejus, quæ in animis & opinionibus gentium observata sunt, vestigia. Arioviſtus & Germani apud Appianum θανάτῳ καταφρονητὴ δι ἐλπίδα ἀναβιώσεως. Nisi hæc fortè eadem ἀναβίωσις, quæ Druidum apud Cæsarum, hoc est, μετεμψύχωσις, de quâ suprà. Quin de barbaris Americanis scribunt nonnulli, resurectionis aliquem sensum habuisse: Hispanos enim, qui ut opibus, quas cum funeribus defodi solitas suprà diximus, potirentur, sepul-

I. de bellis Gallicis.

Auguſt. Zarat.

pulcris apertis ossa distur babant & disijciebant, à Per- CAP. IV.
vanis rogatos esse, ne facerent, quod resurrectioni for-
tè obesse posset. Hi tamen auctores Iosepho Acostæ, cap. 1. num. 8.
quem superiùs adlegabamus, contradicunt. Quòd
si omnino quicquam de resurrectione à barbaris credi-
tum fuit, ita ad eos traditione, & per manus atq; ora
majorum delatum esse existimabimus, sicut opinio de Vide Notas ad Benzonis l. 3. c. 20.
diluvio, quod ne quidem ipsum penitus incognitum
habuere; ut nec Græci, apud quos nemini non notus
& dictus Deucalion. Quamquam quod barbari nar-
rant, parentes suos, qui superfuerant, siccitatem soli
& decrementum aquarum per emissos canes explorasse, l. de comm. par. animantium.
id columbis propiùs ad veritatem historiæ Plutarchus
tribuit.

V. Cæterùm si qua fides scriptoribus, & illi ipsi barbari, *mundum quoq; interiturum perhibent, sed non prius quàm ingens quædam siccitas, & velut conflagratio aëris acciderit, qua Sol ipse & Luna hauriantur* Quis non admiretur hæc secretioris veritatis in animis tam feris & incultis vestigia? Nam si cognitionem hujusmodi non aliò referimus, quàm ad traditiones majorum, qui mysteria quædam ab ecclesiâ, cui è revelatione divinitùs innotuerant, acceperint, & ad posteros, quamquam sublestâ ut plurimum fide transmiserint; minùs certè mirum est Senecam alicubi ad resurrectionē adludere. *Mors*, inquit Epist. 36.
quam pertimescimus, & recusamus, intermittit vitam, non eripit: veniet iterum qui nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent, nisi oblitos reduceret. Aequo animo debet rediturus exire. Observa orbem rerum in se remeantium. videbis in hoc mundo nihil exstingui, sed vicibus descendere ac resurgere. Aestas abit, sed alter annus illam adducit; hyems cecidit; referent illam sui mens-

Cap. IV. *ses. Solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget.* Sed de Senecæ & Stoicorum sententiâ alibi explicatiùs.

VI. Et quid Christianus rectiùs aut disertiùs dicat, quàm quod Phocylidæ tribuitur?

Καὶ τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν
λείψαν' ἀποχομένων ὀπίσω θεοὶ τελέθονται.
Ψυχαὶ γὰρ μίμνουσιν ἀκήριοι ἐν φθιμένοισι.
Πνεῦμα γὰρ ἔτι θεοῦ χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών.
σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες ἐς αὐτὴν
λυόμενοι κόνις ἐσμὲν, ἀὴρ δ' ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται.

Phocyliden Suidas Theognidis æqualem facit, olympiade natum LIX. Neq; dissidet Eusebius in Chronico. Prorsus vero simile non est, ethnicum usq; adeo Christianis paria sensisse vel scripsisse. Suidas sententias ejus è Sybillinis carminibus surreptas esse autumat. Sed hæc quoq; minimè genuina titulos antiquitate venerabiles falsò præferre non ignoramus. Idem de sententiis illis dixerimus: ab homine Christiano scriptas, & Phocylidæ, ut paganis acceptiores essent, suppositas.

VII. Et hæc equidem ita scripseram, quum post illa incidi in locum Iosephi Scaligeri, eadem sentientis. Animadversionibus enim Eusebianis numero MCCCCLXXX, illud quod hodie exstat titulo Phocylidæ κουθετικὸν carmen, minimè illius antiquissimi esse statuit, sed Hellenistæ cujusdam Alexandrini, aut quod vero propius judicat, alicujus Christiani. Adi ipsum, sententiam suam pluribus argumentis evidenter probantem.

cap. 18. IIX. Eusebius etiam XI. Προπαρασκευῆς suadere conatur, Platoni resurrectionem mortuorum cognitam fuisse, productis in medium nonnullis ejus dictis: quæ tamen

tamen si pressiùs considerentur, non tam ad resurrectionem, Christianis nobis creditam, quàm παλιγγενεσίαν & ἀποκατάστασιν, qualem magno suo illo anno exacto Platonici somniant, adludunt. CAP. IV.

IX. Quicquid autem sit, quum ista vel istorum similia adseverarint homines in tenebris positi, & luce Scripturarum destituti, quis crederet resurrectionem ab ijs, qui Scripturas agnovissent, & legissent, negatam esse? Nihil mirum Athenienses nonnullos, quum è Paulo de resurrectione mortuorum audivissent, sannis eum excepisse. Neq; miror, paganum à Minucio Felice ita loquentem introduci. *Quid quòd toti orbi & ipsi mundo cum sideribus suis minantur incendium, ruinam moliuntur? Nec hac furiosâ opinione contenti aniles fabulas adstruunt & adnectunt? renasci se ferunt post mortem, cineres & favillas: & nescio quâ fiduciâ mendacijs invicem credunt. putes eos jam revixisse. anceps malum & gemina dementia: cœlo & astris quæ sic relinquimus, ut invenimus, interitum denunciare: sibi mortuis & exstinctis, qui sicut nascimur & interimus, aeternitatem repromittere.* Act. 17, 32. Multò minus miror, Plinium, quum animarum immortalitatem explosisset, subjungere: *Similis & de adservandis corporibus hominum ac reviviscendi promissa Democrito vanitas, qui non revixit ipse. Quæ (malum) ista dementia est, iterari vitam morte?* l. 7. c. 56. Nihil horum miror, inquam. nam si quid Democritus vel ejusdem farinæ alij de resurrectione balbutierunt, id totum non nisi fando accepisse potuerunt, sive è traditione, quam tamen ut plurimùm vel depravatam à doctoribus suis acceperunt, vel depravârunt ipsi: è ratione verò sive principijs, quæ citra revelationem nota omnes admitterent, haurire non potuerunt. nullum enim eorum est,

Cap. IV. è quo liceat evincere resurrectionem corporum aliquando futuram esse.

X. Hoc autem miror, quî animum induxerint, ut inficias irent, quibus de Scripturæ auctoritate constaret. De Sadducæis suprà diximus. Tempore Apo-
2. Tim. 2. 18. stoli Pauli Hymenæus & Philetus *dicebant resurrectionem jam esse factam*: quòd existimarent non aliam quàm spiritualem, quæ è peccatis per regenerationem est, promitti, ut exponunt Haymo & Liranus; vel quòd resurrectionem in successione, quæ per procreationem liberorum fit, constituerent, quam opinionem iis tribuit Theodoretus: & Severi atq; Hermiæ discipulis Augusti-
hær. 59. ad Quodu. nus. Porrò negationem resurrectionis Carpocrati adscribit Augustinus libro de hæresibus ad Quodvultdeum *hæresi VII*; & Marco cuidam *hær. XIV*; Cajanis *hær. XIIX*; Archonticis *hær. XX*; Cerdoni *hær. XXI*; Severianis *hær. XXIV*; Hierarchitis *hær. XLVII*; Seleucianis sive Hermianis, & Proclianitis *hær. LIX & LX*.

cap. 4 & seqq. XI. Apparet quoq; è quinto libro Irenæi, Valentinianos sive Gnosticos, contra quos ipse scribit, *salutem carnis excluisse, negasse, regenerationem ejus sprevisse, dicentes non eam capacem esse incorruptibilitatis & donationis Dei, quæ est vita æterna*, ut loquitur Sanctus Pater. Et Tertul-
cap. 33. lianus libro De Præscriptionibus innuit, ab universâ istâ colluvie negatam fuisse resurrectionem. *Paulus*, inquit, *notat negatores & dubitatores resurrectionis. Hæc opinio propria Sadducæorum: partem ejus usurpat Marcion, & Apelles & Valentinus*. Quare verò partem? Nempe *Sadducæi neq; animæ neq; carnis* ut ipse alibi loquitur, *admittunt salutem*, immortalitatem scilicet & restaurationem; at hi,
de resurr. c. 36. qui Christianorum nomen præ se ferebant, eam quidem

animæ

animæ concessêre, carni verò minimè: unde etiam *partiarios sententiæ Sadducæorum* appellat. Quin & indicium facit sub finem libri De Præscriptionibus, ubi hæreticos, qui primis seculis ecclesiam turbârunt, enumerat, plerosq; eorum adversus hunc nostrum articulum insurrexisse, nempe Saturninum, Basilidem, Ophitas, Carpocratem, Cerinthum, Valentinum, Ptolemæum, Secundum, Marcum & Colorbasum, Cerdonem, ejusq; discipulum Marcionem Ponticum, Lucanum, Apellem. De singulis vide Epiphanium, qui à Simone Mago, hæreticorum in ecclesiâ Novi Testamenti parente & duce, resurrectionem rejectam docet, sectasq; ab ipso ortas in errore perstitisse. Epiphanio junge, si placet, Theodoreti hæreticarum fabularum librum primum. Dositheo quoq;, qui unus è primis hæreticis ab Hegesippo apud Eusebium fuisse scribitur, Philastrius tribuit, *quòd de carne non speret resurrectionem futuram.*

Cap. IV.
ibid. c. 10.
l. 1. tom. 2. & 3.
4 hist. c. 21.
hær. 4.

XII. Breviter, quantum ex auctoribus & historiâ colligo, priorum seculorum hæretici ferè omnes ad hunc lapidem impegerunt. Bardesani idem tribuit Epiphanius, viro aliàs Græcè & Syriacè diserto, & qui priùs multa piè & eruditè scripsisset, sed à Valentinianis posteà seductus fuerit: quamquam Eusebius contrarium scribit, in Valentini quidem scholâ educatum fuisse, sed ad ecclesiam reductum Valentini errores detestatum ac coarguisse. *Caterùm*, inquit, *veteres erroris sordes non penitus profectò eluerat.* Priscillianus quoq;, quia Gnosticorum hæresin resuscitasse à Sulpitio scribitur, sine dubio & ipse hunc errorem fovit.

hær. 56.
4. hist. c. ult.
lib. 2. hist.

XIII. Iohannes Philoponus, philosophus in Platone

CAP. IV.

tone & Aristotele versatissimus, cognomento Grammaticus, librum de Resurrectione edidit, in quo τὴν τῶν σωμάτων ἀνάστασιν ἀναιρεῖ: πολλὰ τε ἀπερισκέπτως λέγει, ἐπιχλευάζων καὶ τὰς μακαρίας καὶ ἁγίας πατέρας ἡμῶν, *corporum resurrectionem reycit, & multa inconsideratè loquitur, Sanctos etiam Patres irridens.* ut scribit Photius; mox subjungens, à Theodosio Monacho citationes Iohannis adversus corporum resurrectionem prolatas elaboratâ Confutatione elisas esse, adductis etiam locis Scripturæ, beatorumq; Patrum, quibus Iohannis ματαιότης refellatur. Addit Cononem quoq;, Eugenium & Themistium, quamvis aliàs à Iohanne in repudiandâ synodo Chalcedonensi non dissentirent, in illam tamen περὶ ἀναστάσεως αὐτοῦ ματαιολογίαν acriter adeo invectos esse, ut dicerent ἀλλότριον αὐτὸν παντελῶς τοῦ δόγματος τῶν χριστιανῶν.

cod. 21, 22, & 23.

XIV. Iohannem sub Phoca Imperatore, sub initium videlicet septimi post natum Christum seculi, floruisse scribit Nicephorus Callistus: ex quo tamen, auctore aliàs non admodum accurato, quid de Resurrectione ille senserit, vix colligas, quamvis verba hominis videatur proferre; & sunt ex interpretatione Iohannis Langi, ea, quæ sequuntur: *Omnia hæc sensui atq; oculis subjecta corpora, juxta materiam & formam, ex eo quod non est, in id quod est, producta, à Deo sunt: suntq; corruptibilia & corrumpuntur secundum materiam & formam. Pro hisce verò corporibus corpora alia, visibilibus istis longè præstantiora, incorruptibilia & sempiterna à Deo conduntur. Adhæc*, ait Nicephorus, *consummationem sive interitum visibilis hujus mundi, ac rursum novi mundi creationem alteram asserit* Philoponus. *Statuit etiam mortuorum resurrectionem esse, rationalium videlicet animarum cum corruptibili corpore indissolubilem unionem.* Non

lib. 18. c. 47.

sunt

sunt Græca ad manum, ut ea possim consulere. *Cum corpore corruptibili*, habent verba ex versione. Num corpus post resurrectionem corruptibile fore credit? quomodo igitur resurrectionem ipsam dicit indissolubilem unionem? Si verò corpus intelligit, quod ante resurrectionem fuerit corruptibile, reprehendi profectò non debet: quin ita admiserit, idem numero resurgere; quod tamen negasse videtur, ut mox dicemus. CAP. IV.

XV. Suidas solius hæreseos Tritheitarum Philoponum accusat: hujus de resurrectione non meminit. Adjiciamus ex Nicephoro verba Cononis, quibus Philopono contradixit, si fortè ex illis certius aliquid possit colligi. Conon igitur asseruit *corpora non secundum materiam, sed tantùm juxta formam* (formam mixti intelligo) *occidere, eaq; denuò conformari, præstabiliorem speciem materiâ recipiente. Mundi ille quoq; creationem juxta materiam & formam, interitum autem ejusdem juxta formam solum modò, non autem secundum materiam fieri dicit.* Videtur Philoponus sensisse, corpora defunctorum, non in materiam & pulverem, unde facta sint, recidere, sed prorsus in nihilum redigi; (quod tamen non potentiæ naturæ, sed omnipotentiæ divinæ, consummationem seculi eum in modum conficienti, acceptum tulisse ipsum oportuit) atq; adeo animas non uniri pristinis corporibus, sed aliis de novo creatis. Negavit igitur eadem numero corpora resuscitari & revivisscere: quum tamen, ut eadē numero sint, in ipsissimâ resurrectionis ratione includatur; sicut nos quoq; inferiùs monebimus.

XVI. Recentioribus seculis haut temerè invenias, qui nostri hujus articuli negativam profiteantur. Imperatore Philippo Aenobarbi filio, Almaricus Parisiensis

CAP. IV.

ensis doctor, præter alios hunc quoq; errorem amplexus diu impunè non tulit, Lutetiæ cum sociis & adsecliis exustus. Albigenses, si scriptoribus istorum temporum habenda fides, errorem errarunt eumdem: sed fortè hujus, ut aliorum multorum falsò accusantur. Ioannes XXIII. ut immortalitatem animæ, ita carnis quoq; resurrectionem negavit. De Libertinis patrum memoriâ exortis, & multa cum Cerdone & Marcione communia habentibus, testis est Calvinus: *Quicquid*, inquit, *Christiani de vitâ æterna, de resurrectione tenent, ipsis fabula est. Hoc enim imaginantur, animam hominis, quæ est Deus, ad seipsam redire, cùm ad mortem ventum est, non ut tanquam anima humana, sed tamquam Deus ipse vivat.* Et alibi. *Rident spem omnem, quam de resurrectione habemus, idq; jam nobis evenisse dicunt, quod adhuc exspectamus. Si quæratur, quomodo id intelligant, nempe, inquiunt, ut homo sciat, animam suam spiritum immortalem esse perpetuò viventem in cœlis: ac Christum morte suâ opinationem abolevisse, eaq; ratione nobis restituisse vitam, quæ in eo est, ut nos minimè mori cognoscamus.*

Instruct. cap. 3.

cap. 22.

CAPVT V.

Resurrectio mortuorum è disputatione Servatoris cum Sadducæis habitâ, probatur; additis, quæ in eam rem exstant, Veteris testamenti dictis.

ISti verò omnes & singuli quum sint, ut scitè eos Tertullianus appellat, *propinqui Sadducæorum*, & *Sadducæi Christianorum* responsum ferant, quod olim à Servatore majores ipsorum tulerunt. πλανᾶσθε μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ. *Erratis, neq; scientes scripturas*, quibus scilicet Deus fallere nescius resurrectionem prædixit & pro-

de carne Christi c. 1. de resurr. cap. 36.

Matth. 22. v. 29.

& promisit; *neq; potentiam Dei*, per quam fiunt, quæ alioquin nullâ naturæ potentiâ fieri possent, & à quâ pendet resurrectio corporum, atq; alia, quæcumq; fideles piè credunt; vos autem impiè deridetis. Nos igitur è Scripturis resurrectionem primò demonstrabimus; deinde circumstantias ejus & qualitates corporum resurgentium, & supremum, quod eam excipiet judicium, considerabimus. Interim in gratiam quoq; eorum, qui eruditæ pietatis studiosi sunt, & antiquitatem amant, ostendemus, quomodo in primitivâ ecclesiâ sancti patres hunc articulum adversus hæreticos & paganos defenderint. CAP. V.

II. Primo autem loco non videtur aliud adducendum, quàm quod Servator cum Sadducæis disputavit, consignatum à Matth. XXII; Marc. XII; Luc. XX. Suam opinionem illi probatum ibant, & Servatorem, qui resurrectionem adserebat, refutatum argumento ducente ad absurdum sive impossibile. Si est resurrectio mortuorum, orietur magna confusio matrimoniorum, ita etiam ut unius mulieris septem futuri sint mariti, quod est contra jura naturæ. Hoc non poterit esse. E. neq; resurrectio. Consequutionem Majoris probant è lege Mosaicâ, quâ jubebatur levir glorem suam ducere, si frater prior maritus sine filio decessisset. Iam autem contigisse, ut unam uxorem septem fratres alius post alium duxissent. *Cujus ergò*, inquiunt, *in resurrectione ex illis septem erit uxor? omnes enim habuerunt eam.* Servator respondet negando illam in Majore consequentiam; & rationem addit, quia in resurrectione nuptiæ cessant, *neq; uxores ducunt, neq; nuptum dantur: sed sunt ut Angeli Dei in cælo.* Lucas aliquanto plenius hæc expressit: *Eilÿ* Deut. 25, 5.

CAP. V. Luc. 20. 34. *hujus seculi ducunt uxores, & nuptum dantur. Qui verò digni habiti fuerint, qui seculum illud consequantur & resurrectionem ex mortuis, neq; ducunt uxores neq; nuptum dantur.* Nempe hoc vult Servator, conjugia iis, qui in his terris mortalem vitam degunt, convenire, ut quemadmodum individuum conservant nutritione, sic speciem conservent generatione sive propagatione: hisce in alterâ vitâ nihil opus esse; & rationem mox subjungit: *neq; enim mori possunt amplius.* ἰσάγγελοι γὰρ εἰσι. *Et filii sunt Dei, qui filii sunt resurrectionis.*

III. Ita refutata est objectio Sadducæorum. Sequitur argumentum, quod pro se suâq; sanctâ & verâ sententiâ ad confirmandam resurrectionem Dominus adducit. *De resurrectione*, inquit, *non legistis, quod vobis dictum est à Deo dicente: Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Iacobi? Deus autem non est Deus mortuorum, sed viventium.* Dubium videri potest, an hæc verba resurrectionem probent, & quo pacto. Breviter rem videbimus. Argumentum enim concipiendum est ad hunc modum?

Quorum Deus est Deus, illi vivunt.
Abrahami, Isaaci & Iacobi Deus est Deus.
E. Abraham, Isaac & Iacob vivunt.

Major probatur: Quia iis qui non sunt, Deus dominari non potest. Sive, Quia si verè & realiter, & non falsò aut putativè tantùm, Deus eorum est Deus, quorum Deus dicitur, vera & realis relatio est inter Deum & inter ipsos. Si vera realisque relatio, verum & reale utrinq; necesse est habeat fundamentum. Non igitur prorsus nihil esse possunt, sed verè aliquo modo existere oportet, quorumcumq; Deus verè est, & dicitur Deus.

Hinc

Hinc manifesta est Major, nempe *Quorum Deus est DEVS, illi vivunt*, hoc est, verè aliquo modo existunt, certè secundùm animam, si non secundum corpus, quod dudum periit, ac esse desiit, & ad sua principia materiamq; primam rediit, è terrâ factum & in terram resolutum. Nam perinde fuerit, si resurrectionem adversus Sadducæos probaturus animæ immortalitatem probet: quippe hanc directè probando illam probat indirectè. Ab hac enim illa pendet, & hanc negasse videntur Sadducæi, ut commodiùs illam negare possent. CAP. V.

IV. Sive hic sensus est prædicati in Majore istâ: *Quorum Deus est Deus, illi vivunt*, hoc est, non penitus divinæ potentiæ subtracti sunt, sed ita ei subjacent, ut pro ipsius beneplacito in vitam revocari possint. Indicium facit Lucas, quum recitatæ, quam diximus, Majori subjungit: *Omnes enim vivunt ei.* Atq; hinc apparet, quomodo intelligendum sit, quod scribit Paulus, Christum mortuis & viventibus dominari, Rom. XIV, 9. Videtur enim pugnare, quod dicit Servator, *Deum non esse Deum mortuorum*; & quod scribit Paulus, *Deum mortuis dominari.* Sed hæc ex iis, quæ modò dicta sunt, expediuntur. Ex hypothesi Sadducæorum, affirmantium, vitâ decedentes ad eum modum interire, ut prorsus in nihilum abeant, neq; amplius divinæ potentiæ subjaceant; ex hac inquam, hypothesi verum est, Deum non esse Deum mortuorum, id est, eorum, qui neq; nunc aliquid sunt, neq; aliquando erunt, aut esse poterunt. At ex hypothesi Paulinâ, juxta quam mortui non penitus interiêre, sed quò ad potissimam sui partem adhuc supersunt, & aliquando parebunt voci divinæ, inq; vitam redibunt: certè ita verum est, Christum Dominum v. 38.

CAP. V. Ioan 5,28. & 29.

esse mortuorum. *Nam veniet hora, quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus. Et prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò malè egerint, in resurrectionem condemnationis.* Aliter itaq; hoc loco Servator mortuos accipit, aliter in epistolâ Paulus. Servator quidem è sensu adversariorum, contra quos disputabat: Paulus autem suo, eoq; veriore sensu.

V. Mirum autem videri potest, quur hoc dictum à Servatore producatur, è quo per consequentiam elicienda sit resurrectio mortuorum: quum ad eandem confirmandam suppetant in Veteri Testamento testimonia clara & perspicua. Origenes & Hieronymus in Matthæum & hunc ipsum locum commentantes adnotant, Sadducæos solum Mosen recepisse, Prophetas & reliquam omnem Scripturam reiecisse. Ex eo itaq; libro adducendum fuisse testimonium, quem illi agnoscerent; & ex eo disputandum principio, in quo disputantes utrinq; convenirent. In illum etiam sensum accipi solet, quod de Sadducæis scriptum est à Iosepho: *Nec aliud quicquam præter legem servandum existimant.* In Græco est: Φυλακῆς ἀδαμῶν πνῶν μεταποίησις αὐτοῖς, ἢ τῶν νόμων. 18. antiquit. 1. Cæterùm nullo modo vel vero simile vel probabile est, inter Iudæos, in quorum synagogis Parschæ sive lectioni è Mose, Haphtara sive ἀπολυλιὸν è Prophetis & olim & hodie semper subjicitur, tolerari, imò honesto quin primario loco esse potuisse Sadducæos, si Prophetas rejecissent. Fuisse autem πρώτους τοῖς ἀξιώμασι testatur idem Iosephus: & quandoquidem, qui cum Pontifice maximo erant, Sadducæi erant, *Act. V.* 17; ipsum quoq; illum Pontificem non Pharisæum, sed Sadducæum fuisse vero est simillimum, ὁ ἀρχιερεὺς καὶ πάντες οἱ σὺν αὐτῷ, ἡ

οὖσα

ὂυσα αἵρεσις τῶν Σαδδυκαίων. Neq; Ioſephus, ſi rectè inſpi- CAP. V.
ciatur, quicquam Scripturarum rejeciſſe ſcribit, ſed
ſolas πατροπαραδότους δευτερώσεις, quas æmuli & adverſarij
eorum Phariſæi reciperent populoq; obtruderent. Lo-
cus eſt in ſignis in XIII. Antiquitatum: νῦν ἢ δηλῶσαι βέ- cap. 18.
λομαι, ὅτι νόμιμα πολλά τινα παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ Φαρισαῖοι ἐκ
πατέρων παραδοχῆς, ἃ ὡς οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις. κ
διὰ τοῦτο ταύτῃ τὸ Σαδδυκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγον ἐκεῖνα δεῖν
ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα. τὰ ἢ ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων
μὴ τηρεῖν. καὶ περὶ τούτων ζητήσεις αὐτοῖς καὶ διαφορὰς γίνεσθαι συνέ-
βαινε μεγάλας.

VI. Rectius itaq; fuerit dicere, quum Sadducæi è Moſe contra reſurrectionem inſurgerent, viſum fuiſſe Servatori ſimiliter è Moſe reſurrectionem confirmare. Aut voluiſſe Servatorem adverſariorum ſuorum arrogantiam retundere, atq; adeo hoc ipſum teſtimonium adduxiſſe, quaſi inſultaret & diceret: Vos conamini Scripturis reſurrectionem convellere; ecce non habebitis, quod ad minimum Scripturæ pro reſurrectione dictum reſpondeatis. Perſpicua enim & evidentia ne proferam quidem. Hæc de Chriſti Domini cum Sadducæis concertatione.

VII. Perſpicuum autem & evidens de reſurrectione teſtimonium eſſe, quod apud Danielem legitur, nemo vel negare poteſt, vel umquam negavit: *Multi ex* c. 12. 2.
iis, qui dormiunt in terrâ pulveris, ſive pulverulentâ, *expergiſcentur; hi ad vitam æternam: illi ad opprobrium & contemtum æternum.* Hallucinatus igitur eſt Chryſoſtomus, hom. 1. de Lazaro.
qui hominibus Veteris teſtamenti reſurrectionis dogma incognitum fuiſſe alicubi opinatur.

VIII. Neq; minùs luculentum aut illuſtre, quod in

CAP. V. summis angustijs & de mortali vitâ desperans Iob protulit; idq; juxta Hebræum fontem ita habet: *Equidem novi Redemtorem meum vivere, & postremò super pulverem* sive terram *constiturum*: nempe qui fuit ante terram, utpote creator terræ, cum terrâ minimè dissolvetur, sed eâ destructâ ipse perennabit. *Et postquam pellem meam contriverint hanc*, nunc scilicet ulcera & sanies, & paullò post vermes; *& de carne meâ videbo Deum. Quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt, & non alius, quamvis consumti sint renes mei in sinu meo.* epist. 61. Benè Hieronymus, *Quid*, ait, *hac prophetiâ manifestius? nullus tam apertè post Christum, quàm iste ante Christum de resurrectione loquitur.* Et sanè versio Hieronymiana, quæ tamen ab Hebræo longiusculè abit, mysterium resurrectionis adhuc disertiùs expressit. Concepta est autem in hunc modum: *Scio, quod Redemtor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum. Et rursuna circum dabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum, Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius, reposita est hæc spes mea in sinu meo.* At quæ hodie exstat versio Græca LXX. seniorum, minùs cùm Hebræi textus, tum Resurrectionis veritatem attingit. οἶδα, ὅτι ἀέναός ἐστιν ὁ ἐκλύσων μέλλων ἐπὶ γῆς. *Scio quòd æternus sit, qui me resoluturus super terram.* Melius Theodotion. ὁ ἀγχιστεύς μου ζῇ, καὶ ἔσχατον ἐπὶ χώματος ἀναστήσει. *Propinquus meus*, cui videlicet jure propinquitatis competit, ut me redimat, *vivit, & ultimum è pulvere excitabit.* Sed reliqua juxta LXX. addamus: ἀναστήσεται τὸ δέρμα μου ἀνατλᾶν ταῦτα. ταῦτα γὰρ κυρίῳ ἔθυτά μοι συνετελέσθη, ἃ ἐγὼ ἐμαυτῷ συνεπίσταμαι, ἃ ὀφθαλμός μου ἑώρακε, καὶ οὐκ ἄλλος. πάντα ἔθυτά μοι συντετέλεσται ἐν κόλπῳ. *Resurget pellis mea, exantlans ista. A Domino enim ea mihi confecta sunt, quorum ego mihimet ipsi conscius sum*

sum, quæ oculus meus vidit, & non alius. Omnia autem mihi consummata sunt in sinu. Cap. V.

IX. Per hanc incommodam versionem factum fuit, ut Chrysostomus Græciq; Patres alij hoc Iobi dictum ad resurrectionis mysterium confirmandum vix umquam adhibuerint, & potius de restitutione in integrum, quam sibi in hac etiam vitâ Iobus promitteret, acceperint. Cyrillus tamen Ierosolymitanus verba, ἀναστήσεται τὸ δέρμα μου τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα, de resurrectione interpretatur. catech. 18.

X. Miror autem Iohannem Mercerum, virum superiore ætate Hebraicè doctissimum, similiter de integritate, cujus se Iobus propediem Dei beneficio compotem fore speret, accipere. *Nostri*, ait, *ferè omnes, cùm veteres tum recentiores ad resurrectionem referunt, quam hoc loco Iob adstruat. ----- Sed ego*, inquit, *cum Hebræis totum hunc locum aliter accipio. Quod si de resurrectione futurâ hic loqueretur Iob, non erant haut dubiè id prætermissuri Hebræi, qui & ipsi resurrectionem credunt. At ne unum quidem ex sex aut septem Hebræorum commentariis invenies, qui eò referat.* Refert tamen eò R. Samuel Marochianus in eleganti suo de adventu Messiæ libello sive epistolâ. Integrum autem valetudinis robur, quod mortalem hanc vitam viventi reddatur, tantum abest eo in loco Iobum sibi promittere, ut ne speret quidem. Dixerat enim paulò ante: *Demolitus est me* Deus *circumquaq;, ut abeam*, sive ut deficiam & evellar: *& amovit tamquam arboris*, circumfossæ scilicet aut excisæ, *spem meam.* Theodorus etiam Beza, qui commentarios eos Merceri cum elogio in publicum emisit, agnoscit hoc loco *nullum in Sacris litteris exstare ad confirmandam corporum nostrorum resurrectionem, illustriorem.* Cap. 11. c. 19. v. 10. paraph. in Iob.

XI. Iesaias XXVI, 19. *Reviviscent mortui tui, cadavera*

quæq;

CAP. V.

quaq; mea resurgent: expergiscimini & cantate, qui inhabitatis pulverem: nam ros olerum ros tuus est, & terra mortuos proïciet. Vulgatus habet: *quia ros lucis* (Hebræum אורות lucem sive lumina significat, & olera quoq; sive herbas) *ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.* Hunc locum de resurrectione corporum accipiunt prisci ejus interpretes Cyrillus Alexandrinus & Hieronymus. Neq; hi solùm, sed ipsis etiam antiquiores Irenæus & Tertullianus. A-

l.5.c.14. pud illum ita expressus est; *Resurgent mortui, & surgent qui in monumentis sunt. Ros enim quod à te est, sanitas est eis.* Iste

de resurr. cap.31. verò in hunc modum extulit: *Vivent mortui & exsurgent de sepulcris: ros enim, qui à te est, medela est* (aliter *medulla est*; sed perperam) *ossibus eorum.* Hæ versiones è communi græcâ derivatæ sunt; ea enim habet: ἀναζήσονται οἱ νεκροὶ, καὶ ἐγερθήσονται οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, καὶ εὐφρανθήσονται οἱ ἐν τῇ γῇ. ἡ γὰρ δρόσος ἡ παρὰ σοῦ, ἴαμα αὐτοῖς ἐστιν. Contextus autem suadet, Prophetam loqui de restitutione, quæ post pœnas & calamitates populo Iudæorum, non exscindendo sed castigando & emendando, per Dei benignitatem sit obventura; cujus beneficij compotes non fiant aliæ gentes, funditùs delendæ & exstirpandæ, de

v.14. quibus paullò antè dixerat: *Mortui non reviviscent; expertes vitæ non resurgent: propterea visitans perdidisti eos, & profligasti omnem memoriam eorum.* Promissio tamen de populo desperatæ salutis in integrum restituendo, quæ in eo loco habetur & resuscitatione mortuorum adumbratur, hanc ipsam resuscitationem quasi includit, aut certè supponit. Nempe quemadmodum Deus possit atq; velit mortuorum cadavera in vitam revocare, ita quoque populum internecioni datum & tantùm non penitus exstinctum restituere & posse & velle.

12. Idem

XII. Idem dicendum de visione Iezechieli prophetæ exhibitâ, qui ductus in conuallem ossibus plenam iussus est prophetare: *O ossa arida, audite verbum Domini. Sic ait Dominus Deus ossibus istis: Ecce ego inducturus sum in vos spiritum, vt viuatis. Nam addam vobis neruos, & obducam vobis carnem, & superindam vobis cutem, ponamq; in vobis spiritum & viuetis.* Quod iussus erat, dixit; & quod dixerat, continuò vidit effectu compleri. Audit autem statim subijci, & diserte exponi, quò typus tendat: *Ossa ista tota domus Israëlis sunt: ecce dicunt, aruerunt ossa nostra, & perijt exspectatio nostra; succisi sumus nobis. Idcirco vaticinare & dic eis: Sic ait Dominus Deus; ecce ego aperiens sepulcra vestra deducam vos è sepulcris vestris, populemi, reducamq; vos in terram Israëlis.* Rectè autem Tertullianus: *Non posset de ossibus figura componi, si non idipsum ossibus euenturum esset.* Theodoretus in hunc locum: *Fuerunt hæc non solùm reuocationis Iudæorum in pristinum statum, sed etiam resurrectionis omnium hominum figura.* Hieronymus duplicem ponit expositionem, vnam eorum qui propriè & proximè de generali resurrectione accipiant; alteram aliorum, qui typo resurrectionis mortuorum vtpote certò futuræ, liberationem & restitutionem populi, figurari & confirmari asserant. Quorum & rectiùs quidem interpretantium hæc sunt verba: *Perspicuum est, non nos resurrectionem negare, sed hæc non scripta* (præcipuè scilicet & proximè) *de resurrectione contendere, & per resurrectionis parabolam de restitutione Israël prophetari, qui eo tempore captiuus erat in Babylone. Nec statim hæreticis occasionem dabimus, si hæc de resurrectione communi intelligi denegemus. Numquam enim poneretur similitudo resurrectionis* (nota bene) *ad restitutionem Israëlitici populi significandam nisi* CAP. V. cap. 37. de resurr. cap. 30.

CAP. V *staret ipsa resurrectio, & futura crederetur: quia nemo de rebus non exstantibus incerta confirmat; totaq; nostra illo tendit assertio, quòd quomodo videtur incredulum, quòd ossibus aridis & multâ vetustate confectis futura resurrectio promittatur, & tamen futurum est quod promittitur: sic & restitutio populi Israël videtur quidem incredibilis his qui Dei non norunt potentiam, sed tamen futura est, quia ego, inquit Dominus, loquutus sum, & faciam sicut pollicitus sum.* Hanc itaq; visionem Iezechielis cum superiore Iesaiæ dicto ad probandam resurrectionem conjungunt non modò Irenæus & Tertullianus, quos paullò antè laudabamus, sed Ambrosius quoq; *de fide resurrectionis*, & Cyrillus Ierosolymitanus *catechesi Illuminatorum XIIX.* Eamdem eadem fini adducunt Cyprianus *III. testimoniorum ad Quirinum cap. 58*, & Augustinus *X de Genesi ad litteram, cap. 5.*

in medio libri.

XIII. Quum igitur antiquum fœdus luculenta resurrectionis mortuorum contineat testimonia & documenta, quin etiam specimina, qualia sunt filius viduæ Sareptanæ ab Elia, & filius mulieris Sunanimitidis ab Elisæo in vitam reuocati; vir etiam ille, qui contactis Elisæi ossibus reuixit: subit mirari, quî factum fuerit, quòd resurrectionem Sadducæi obstinatè adeo reiecerint. Sed nihilo minùs mirum, quod Angelos negarunt, quum toties & tam disertè in lege Mosis, etiamsi eam solam recepissent, Angelorum Domini mentio fiat, nempe Genes. XVI, 7, 9; XIX, 1, 15; XXI, 17; XXII, 11, 15, Ex. III, 2; XIV, 19; Num. XXII, 22; & alibi. Istud itaq;, qui nobis peritiores sunt, expediant.

1. Reg. 17. 2. Reg. 4. & 13.

XIV. Occasionem autem errandi (ut hoc quoq; obiter inseramus) Sadoc conditor sectæ Sadducæorum & Baithus condiscipulus eius, è verbis magistri sui Antigoni

tigoni Sochæi, cuius præceptor Simeon Iustus fuerat, CAP. VI.
acceperunt. Dixerat Antigonus: *Ne sitis tamquam servi, qui ideo Domino seruiunt, vt demensum accipiant.* Nempe iubebat ille non tam spe mercedis, quàm ex amore & reuerentiâ Deo cultum exhiberi. Hanc rectam sententiam illi aliouorsum rapientes concludebant, nullam igitur esse benefactorum mercedem, nullam spem alterius vitæ vel præmiorum in eâ. Quô adludens Apostolus Paulus in concertatione cum Pharisæis & Sadducæis, περὶ ἐλπίδος, ait, καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι. *De spe*, Act. 23. 6
præmiorum videlicet, quibus mactandi ornandiq; iusti, *& resurrectione mortuorum ego in judicium vocor.*

XV. Hunc itaq; Sadducæorum & Baithusæorum hær. 14
errorem à Samaritis etiam, si Epiphanio credimus, receptum, cæteri Iudæi, ne Karraim quidem, qui alioquin reijciendis traditionibus paria cum Sadducæis faciunt, admiserunt; vnde hodierni quoq; Iudæi resurrectionem credunt. Articulorum enim, quos ipsis duodecimo postnatum Seruatorem seculo Moses Maimonides Aegyptius præscripsit & omnes vnanimiter hodie profitentur, tertius decimus & ultimus ita habet: *Credo perfectâ fide, futuram resurrectionem mortuorum tempore, quo visum fuerit Creatori, cujus nomen sit benedictum & laudatum in secula, Amen.* In Talmude etiam, sub initium capituli *Chelec*, quod vltimum est codicis *Sanhedrin*, pro resurrectione mortuorum multis & à multis satis prolixè disputatur, adductis non paucis Scripturæ dictis, immixtisq; rationibus atq; exemplis possibilitatem eius adstruentibus. Meretur adscribi responsum, quod tribuitur Gabiæ ben Pesisæ, æquali temporum Simeonis Iusti. Ei obiecerat ex Sadducæis vnus: *Oportet*

CAP. V. *mori omnes qui viuunt: quomodo itaq; viuere poterunt, qui moriuntur?* Respondet autem: *Si nos, qui anteà non viuebamus, modò viuimus, quantò magis & facilius, qui priùs vixerunt, iterum vitæ restitui poterunt?*

XVI. Ista etiam ὡς ἐν παρόδῳ & transcursu, per occasionem testimoniorum Veteris testamenti de Iudæis dicta sunto. Sanè quùm admittant illud cùm Iudæi tum Turcæ non minùs ab vtrisq; etiam Resurrectio admittitur, quamuis neutri doctrinam sinceram conseruarint, sed vtrinq; multis & magnis erroribus, partim impijs, partim ridiculis, de quibus fortè suo postea loco, contaminarint.

CAPVT VI.

Resurrectio mortuorum prolatis pluribus Noui testamenti dictis probatur; & præsertim ex prioris ad Corinthios cap. XV.

Propositis & expositis antiqui fœderis ad resurrectionem spectantibus dictis subijciamus alia è nouo. Quid ex eo autem exspectari debeat, vel ex isto vno loco, quem enarrauimus, disputatione videlicet Domini cum Sadducæis, manifestum est. Tam crebrò ibi, tam clarè Resurrectio proponitur, vt qui tanquam præcipuum dogma inculcari non animaduertat, Tiresia cœciorem esse oporteat. Dilucidiùs enim expressa est, quàm si solis radio scripta esset. Exponuntur etiam multæ ejus circumstantiæ, & indicantur conditiones atq; qualitates resuscitatorum corporum; quibus de rebus nos quoq;, quando ordo tractationis tulerit, agemus. Nunc itaq; loca tantùm indicamus, quæ posteà, vbi opus erit & res flagitabit, integra recitabuntur.

Iohan.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0056
Mecklenburg Vorpommern

Iohan. V, 28. VI, 39 & 40. XI, 24. Luc. XIV, 14. Act. XVII, 18. XXIII, 6. XXIV, 15. Philipp. III, 21. I. Thess. IV, 14. II. Thimoth. II, 18. CAP. VI.

II. Quin Paulus, etsi nuda eius adsertio abundè satisfaceret, vtpote Apostoli & scriptoris ἀπὸ ἁγίου πνεύματος φερομένου: argumenta nihilominus adjungere voluit I. Corinth. XV; ne quid deesset. Breuiter ea videbimus. *Si resurrectio*, inquit, *mortuorum non est, Christus quoq; non est suscitatus.* Ratio consequentiæ duplex dari potest. Vna; si nulla prorsus est resurrectio, siue, si nulli mortui resurgunt, neq; Christus resurrexit, nam is quoq; vnus fuit ex mortuis. Altera: Ipse se vitem esse dicit, nos palmites; & *est caput corporis*, id est, *ecclesiæ.* Oportet autem & coniunctionem & conformitatem membrorum esse cum capite: neq; si omnia membra mortua fuerint, caput sine illis vitam tueri poterit. Sequitur itaq;, si cuncta membra morti sunt mancipata, caput quoq; ipsum, quod Christus est, in morte manet. Ex eodem principio, nempe conformitate & coniunctione nostrûm ad Christum, & membrorum ad caput alio quoq; loco argumentatur: *Si credimus Iesum mortuum esse & resurrexisse, ita etiam Deus eos, qui obdormierunt in Iesu, adducet cum eo.* Hinc pulcrè Augustinus: *Quia resurrexit caput vestrum, hoc sperate membra, quod credidistis in capite. Prouerbium est antiquum & verum; Vbi caput, ibi & cætera membra. Christus in cœlum adscendit, quò nos sequuturi sumus.* Hæc ille. V 13. Ioan. 15, 5. Col. 1, 18. 1. Thess. 4, 14. in psal. 29.

III. Consequentia igitur bona est. *Si mortui non suscitantur, Christus quoqq; non est suscitatus.* At posito consequente, multa emergent absurda. *Quod si Christus non est suscitatus, vanum est præconium nostrum*, ait Apostolus, ad 1. Cor. 15. 14.

Cap. VI. quod tamen faciendum non nostrâ sponte, sed ex Dei voluntate & iussu accessimus. II. *Vana est etiam fides vestra*, quæ videlicet Christo resuscitato & viuo nititur. Si resuscitatus & viuus ille non est, vestra
v. 17. fides inanis est, imò falsa. III. *Adhuc estis in peccatis vestris.* Nam, quum per fidem habeatur remissio peccatorum, si inanis & falsa fuerit fides, nulla per eam poterit obtineri remissio. Neq; mors Christi efficax erit ad promerendam remissionem peccatorum, si Christus in
v. 19. morte mansit, & à morte victus est. IV. *Inuenimur etiam falsi testes Dei: quoniam de Deo testificati sumus, eum suscitasse*
v. 15. *Christum, quem tamen non suscitauit.* V. *Et qui obdormierunt in Christo, perierunt.* Tot absurda ex consequente enascuntur. Falsum igitur est antecedens, è quo emersit illud consequens. Obseruandum autem est, argumentum esse, vt dici solet, ad hominem; & Apostolum verba facere ad eos, qui Christiani essent & audire cuperent. Ostendit igitur illis, qui aliàs euangelium reciperent, & fide à peccatis se liberari statuerent, cum abnegatâ resurrectione mortuorum ista, quæ aliàs credant, consistere non posse, & fundamentum conuelli, totumq; Christianismum euerti, si resurrectio negetur. Hinc vlterius obseruandum, Apostolum ita de resurrectione hic agere, vt argumenta potissimùm accommodata sint ad resurrectionem fidelium probandam. Neq; enim quod hactenus considerauimus, neq; quod sequitur, ad alios spectat.

IV. Sequitur autem argumentum à prouidentiâ diuinâ, per quam fieri aliter non potest, quin tandem pijs & bonis benè sit. At in hac vitâ vtplurimùm aliter sese res habet, & malè plerumq; accipiuntur & tra-

ctantur,

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0058
Mecklenburg Vorpommern

cantur, qui boni sunt. Dicit igitur Apostolus: *Si in hac solùm vitâ*. id est, propter huius vitæ bona & commoda, *in Christum speramus, miserrimi omnium hominum sumus.* Huius enim seculi bonis nos atq; alij, qui maximè Deo confidimus, eiusq; voluntati obtemperamus, minimè potimur. At optimos quosq; & fidissimos Dei seruos esse & manere omnium mortalium miserrimos, pugnat cum prouidentiâ, iustitiâ & bonitate Dei. Ergo aliam vitam superesse oportet. GAL. VI. v. 19.

V. Addit: *Nunc autem Christus suscitatus est ex mortuis, & primitiæ eorum, qui obdormierunt, factus est.* Redit videlicet ad primum argumentum, & ad resurrectionem Domini, ex quâ Corinthijs, quibus scribebat, creditâ, resurrectionem fidelium deduxerat: Vocat autem Christum *primitias eorum, qui obdormierunt* quòd primus è somno mortis ad vitam immortalem & numquam cum morte iterum commutandam resurrexerit, vnde etiam *primogenitus ex mortuis* dicitur; & quòd ille suis omnibus caussa sit beatæ resurrectionis, atq; ita suâ ipsius resurrectione cunctorum fidelium resurrectionem sanctificarit, quemadmodum in lege Mosaicâ primitiæ fructuum Deo oblatæ reliquos fructus siue totum cumulum sanctificabant. *Quia enim per hominem mors*, siue quia Adamus non soli sibi, sed omnibus suis mortem acersijt, *per hominem quoq;* Christum videlicet, vtpote posteriorem Adamum, *resurrectio mortuorum*, nempe quæ dicitur resurrectio vitæ & resurrectioni condemnationis opponitur Iohan. V, 29. *Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Augustinus de viuificatione fidelium ad æternam salutem rectè interpretatus, *Per hanc*, ait, *Apostolicam diuinam clarumq; sententiam* v. 20. Coloss. 1. 18. Apoc. 1. 5. v. 21. v. 22. epist. 80

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0059
Mecklenburg Vorpommern

CAP. VI. *tentiam, satis euidenter elucet, neminem ire in mortem, nisi per Adam; neminem ire in vitam æternam, nisi per Christum. Hoc est quippe* omnes *&* omnes. *quia sicut omnes homines per primam, hoc est, per carnalem generationem pertinent ad Adam, sic omnes homines ad secundam, id est, spiritualem regenerationem veniunt, quicumq; ad Christum perueniunt.* Sicut igitur Apostolus ijs, quos fideles reputabat, scribit, ita quoq; de illorum resurrectione & viuificatione tantùm differit; quæ restrictio manifesta ex verbis, quæ mox sequuntur, ἀπαρχὴ Χριστός, ἔπειτα οἱ Χριστοῦ: manifesta quoq; ex ijs, quæ de corporibus non omnibus, sed fidelium & cum gloriâ resuscitandis subijcit.

VI. Quæri autem poterat, vel obijci; Si Christi resurrectio & vita nostram secum trahit, quî fit quum Christus resurrexerit & viuat, quòd nos nihilominus in morte tam diu manemus & in sepulcris putrescimus?

v. 23. Respondet; omnes quidem viuificabuntur, *vnusquisq; autem suo ordine: primitiæ Christus, postea qui sunt Christi, in aduentu ipsius*; nempe Christum cæteros resurgentes præuenire neq; resurrectionem suam differre oportuit. Reliqui verò juxta Dei beneplacitum in posteriore demum

v. 24. Christi aduentu resurgent. *Deinde erit finis* omnium scilicet rerum & vicissitudinum præsentis seculi.

VII. Vlteriùs in hunc modum argumentatur Apostolus. Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νε-

v. 29. κρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? vt quid baptizantur pro illis?* Hic locus inter obscurrissimos & difficillimos semper habitus fuit; & ferè quod interpretes, tot nactus est inter-

hær. 28. pretationes. Epiphanius de Cerinthianis agens e traditione

ditione quadam commemorat, fuisse in Asiâ & Galatiâ inter ipsos, qui quum morte aliquis præventus sine baptismo decessisset, substituerent alium, quem vice defuncti baptizarent, ne is in resurrectione pœnas daret, quòd baptizatus non esset: & ex hac quamvis erroneâ hypothesi & consuetudine Apostolum disputare. Cæterùm vix vero simile est, Apostolum vel argumento tam infirmo uti, vel insignem adeo baptismi profanationem sine reprehensione præterire voluisse. Quamquam non aliam adhibuit commentarius, qui Ambrosio tribui solet, expositionem, quàm hanc ipsam: è quo descripsit Anselmus sive Hervæus, sequitur etiam Haymo, & in glossâ interlineari Anselmus Laudunensis. Epiphanius verò non probat, sed subjungit: καλῶς δὲ ἄλλοι τὸ ῥητὸν ἑρμηνεύοντες, φασὶν, ὅτι οἱ μέλλοντες τελευτᾶν, ἐὰν ὦσι κατηχημένοι, διὰ ταύτην τὴν ἐλπίδι πρὸ τῆς τελευτῆς λαγνὸν καταξιοῦνται. *Alij rectè hoc dictum interpretantes dicunt, quòd morti vicini, si fuerint in pietatis doctrinâ instructi, ob hanc spem ante obitum lavacro digni fiunt.* Hoc itaq; sensu βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν fuerit morti vicinos baptizari, sive instar mortuorum, quando videlicet mors imminet & pro deploratis habentur. De his agens Cyprianus epistolâ ad Magnum defendit baptismum, quo ægroti in lecto aquâ potiùs adspergebantur, quàm lavabantur, & reprehendit eos, qui in dubium vocabant, Clinicorum nomen ita baptizatis indentes. Et sanè, si ferret natura Græci sermonis, hunc sensum facilè admitterem. nam ecclesiæ consuetudinem semper fuisse, ut catechumeni in periculo mortis constituti baptizarentur; & Apostolum ab eo, quod universa ecclesia rectè factitaret, argumentum petere, nemini videri po-

Cap. VI. Hær. 28.

ep. 76.

CAP. VI. test improbabile. Cæteris igitur explicationibus hanc ipsam præferunt è recentioribus Ioh. Caluinus, Petrus Martyr, Rudolphus Gualtherus, Nicolaus Hemmingius.

IIX. Tertullianus de vicario baptismo, cujus ex Epiphanio meminimus, simile quid insinuat duobus locis, ipsum illud Apostoli dictum allegans & interpretans, libro videlicet de Resurrectione, & V contra Marcionem. Priore ita loquitur: *Si baptizantur quidam pro mortuis, videbimus an ratione*, sive rectè. *Certè illâ præsumtione hoc eos instituisse contendit, quâ alij etiam carni vicarium baptisma profuturum existimarent ad spem resurrectionis.* Po-

Cap. 42.

Cap. 10. steriore: *Quid, ait Apostolus, facient, qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resurgunt? Viderit institutio ista*, quonā scilicet fundamento nitatur; *Kalendæ si fortè Februariæ*, quibus populus Romanus pro mortuis februabatur sive lustrabatur per ignem, *respondebunt illi pro mortuis petere*, si fortè ex illo gentili lustrationis ritu baptizationem mortuorum nonnulli imperiti Christiani derivarunt, ut sacris februalibus successerit apud eos superstitio baptizandi mortuos. *Noli ergo Apostolum novum statim auctorem aut confirmatorem* vicarij istius pro mortuis baptismi *denotare, ut tantò magis sisteret* sive stabiliret *carnis resurrectionem, quantò illi, qui vanè pro mortuis baptizarentur, fide resurrectionis hoc facerent. Habemus illum alicubi unius baptismi*, qui scilicet vivis conferatur, *definitorem.* Ne autem aliqua vel utilitas vel necessitas vicarij baptismi Apostolico hoc dicto adstrui videatur, mox aliam subjungit expositionem. *Igitur*, inquit, *& pro mortuis tingui pro corporibus est tingui: mortuum enim corpus ostendimus, Quid facient, qui pro corporibus baptizantur, si corpora*

pora non resurgunt? Ista interpretatio Tertulliani, ut videtur, propria, cui similem adhibuit Theodoretus, in hæc verba commentans: *Qui baptizatur, Domino consepelitur, ut, quum mortis fuerit particeps, sit etiam particeps, resurrectionis. Si autem corpus est mortuum & non resurgit, quur etiam baptizatur?* Commentarius inter opera Hieronymi: *Quid baptizari opus est carnem, si caro non resurgat?* CAP. VI.

IX. Chrysostomus narrat, Marcionitas hoc loco abusos sub lectulis mortuorum occultasse, qui vice ipsorum interrogatorum; num baptismum expeterent, voce vivâ respondissent, & baptismum suscepissent. Et huc sine dubio respicit etiam Tertullianus contra Marcionem scribens. Ipse autem Chrysostomus exponit de confessione resurrectionis mortuorum, quam se credere ante baptismum initiandi profitebantur: ipsamq; immersionem & emersionem mortis ac resurrectionis symbolum esse dicit. *Quum*, ait, *baptizaturi sumus, adjungimus & dicere jubemus: Credo mortuorum resurrectionem: & super hac fide baptizamur. Nam istud ubi cum cateris confessi sumus, ibi in fontem descendimus laticum sacrorum. Hoc igitur est, bujus hic admonet Paulus: nam si resurrectio nihil est, inquit, pro mortuis quur baptizaris, corporibus scilicet? Ob hoc enim baptizaris, quia mortuum corpus resurrecturum credis, & morbum non mansurum. Et verbis tu quidem resurrectionem mortuorum sonas, sacerdos verò, quæ credis, quæ voce confiteris, tibi velut figurâ quadam & rebus etiam ipsis ostendit.* Paullò pôst: *Quid facient, inquit* Apostolus scilicet, *resurrectionem mortuorum stipulati, nil verò tale consequuntur decepti? Quid omninò verò istâ confessione opus fuit, nisi res sequantur.* Chrysostomum exprimunt, ut solent, Theophylactus & hom. 40. in 1. Cor.

Cap. VI. Oecumenius. Iuxta hos igitur *pro mortuis baptizari* est credentes resurrectionem corporum mortuorum baptizari; sive spe resurrectionis baptizari; sive ut è Photio addit Oecumenius, *baptizari in eum finem, ut omnino mortui non sint, nec in inferno detineantur: si omnino, inquit* Paulus, *mortui non resurgunt, quur etiam ut resurgant baptizantur?*

X. Sedulius in hæc verba novas adfert expositiones, quas quoq; ipsas adscribo. *Quicumq; in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus, id est, ut jam quasi commortui cum illo simus. Quid ergò prodest nobis mundo mori, si hunc contemtum voluptatum vita nõ sequitur æterna? Aliter, PRO MORTVIS, id est, operibus quæ generant mortem*, impetratâ scilicet eorum per baptismum remissione, abolendis. Hanc posteriorem interpretationem sequuntur Liranus, Thomas & Hugo Cardinalis. Strabus in glossâ ordinariâ utramq; ita exprimit: *Pro mortuis, id est, pro peccatis delendis, VEL, pro se mortuis faciendis ad similitudinem mortis Christi.* Nemo autem non videt, utramq; contortam esse, & non parum violentam.

XI. Neq; fortè minùs violenta est, quam recens excogitavit Beza, qui βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν vult esse *lavari mortuos*, vel mediâ significatione *ablutione uti super mortuis*. Verum quidem est, lotiones mortuorum usitatas fuisse, cùm Romanis, apud quos *Tarquinij corpus bona fœmina lavit & unxit*, adludente etiam ad hunc morem Virgilio, ubi de curato funere Miseni scribit---*corpus q; lavant frigentis & ungunt*; tum Græcis, apud quos Socrati consultius videtur λουσάμενον πιεῖν τὸ φάρμακον, καὶ μὴ προφάσεσθαι ταῖς γυναιξὶ παρέχειν νεκρὸν λοῦσαι. quin Dardanenses Illyricos scribit Aelianus τρὶς λούεσθαι μόνον πάντα τὸν ἑαυτῶν βίον, ἐξ ὠδίνων καὶ γαμβρεύοντας καὶ ἀποθνήσκοντας. Sed & eædem

Eunius.

Plato Phœdone.

Var. hist. l. 4. c. 1.

eædem Christianis receptæ, ut constat ex Act. IX, 37; & Tertulliani Apologetico: quibus addebant unctiones non minùs quàm gentes, indicium faciente eodem, ubi scribit *Sabæorum merces pluris & cariùs Christianis sepeliendis profligari, quàm Diis fumigandis*: & alio loco; *corpora medicata condimentis sepulturæ mausolæis & monumentis sequestrari*: item, *Christianis aromata ad solatia sepulturæ usui esse*. Et in dialogo Minucij inter crimina, quæ Cæcilius paganus Octavio Christiano objcit, *Non floribus caput nectitis*, inquit, *non corpus odoribus honestatis: reservatis unguenta funeribus*. Mihi tamen prorsus non fit vero simile, Apostolum à lotione sepulcrali ad resurrectionem argumentari, & consequentiam nectere adeo infirmam. Neq; sat scio, an sensus ille verbis & contextui queat convenire. Esto judicium penes doctiores.

Cap. VI. cap. 42. ibid. de resurr. c. 27. de Idololat.

XII. Ex Pontificijs Cardinalis Bellarminus, ut suffragia pro defunctis & purgatorium stabiliat, baptismum, cujus hîc mentio, de baptismo lacrymarum & pœnitentiæ interpretatur, ut sensus sit; Quid facient, qui baptizantur, id est, jejuniis, precibus, gemitibus sese affligunt pro mortuis, si mortui non resurgunt? Verum quidem est, Gregorium Nazianzenum alicubi scribere: οἶδα καὶ πέμπτον βάπτισμα, τὸ διὰ μαρτυρίου καὶ αἵματος. οἶδα καὶ πέμπτον ἐπὶ τῶν δακρύων. *Novi quoq; quartum baptisma*, (primum enim ei typicum Mosis, de quo 1. Cor. X, 2; secundum Iohannis; tertium Christi) *quod fit per martyrium & sanguinem: novi etiam quintum lacrymarum, quo perfunditur ille, qui per singulas noctes lectum suum ac stratum lacrymis rigat, ----- qui Manassis resipiscentiam ac Ninivitarum humilitatem imitatur, qui publicani verbis in templo utitur*. Quando tamen Scriptura baptismum pro afflictione & morte accipit

1. de purgat. c. 6. oratio 39. in sancta lumina.

CAP. VI. cipit, ex contextu & ijs quæ adduntur, res evadit manifesta. Neq; verò id fit, nisi duobus locis. Mar. X, 38. *Potestis bibere poculum, quod ego bibo, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Lucæ XII, 50. *Baptismo oportet me baptizari, & quomodo constringor, usquequò perficiatur?* Vtrobiq; est emphaticus ille pleonasmus; *baptismo baptizari.* Pro pœnitentiâ autem in scripturis nusquam ponitur baptismus: sed quia pœnitentibus lacrymas effundere solenne, hinc Nazianzeno visum est lacrymarum & pœnitentiæ baptismum efformare; quæ non nisi ipsius privata sive sententia, sive phrasis. Et si rem putemus, nemo pro altero, nedum pro mortuo pœnitentiam potest agere. Igitur etiam baptismus pœnitentiæ, qualem Nazianzenus descripsit, pro mortuis adhiberi nequit. Juvantur defuncti, secundum Pontificios, sacrificio Missæ, precibus, jejunijs, eleemosynis. Quis autem dicat, offerre sacrificium, orare, jejunare, eleemosynas dare in gratiam alterius, hoc esse baptizari prò altero?

XIII. Alijs igitur ejusdem sectæ, imò societatis hominibus ea interpretatio non arrisit. Nuper enim Cornelius à Lapide istam, quam Chrysostomi esse suprà diximus, tamquam simpliciſſimam & planiſſimam, reliquis & ipsi Bellarminianæ prætulit. Claudius Guillaudus Bellocensis baptismum, qui hic memoratur, quarto Nazianzeni significatu accipere maluit, ut sensus sit, Christianos baptizari, hoc est, pati, mori & martyrium subire, pro mortuis, id est, pro adserendâ & defendendâ fide resurrectionis mortuorum. Consentit Iohannes Maldonatus commentario in Luc. XII, 50. Cæterùm *τὸ baptizari* absolutè positum, uti hîc, in simplici & usitatissimo sensu meritò capitur. Nam, ut paullò ante in-

nue ba-

nuebamus, si afflictionem & martyrium significet, sermo ita conceptus est, ut ejus rei evidens indicium præbeat. Durum quoq; est, *pro mortuis*, idem esse quod *pro adserendâ doctrinâ resurrectionis mortuorum.* CAP. VI.

XIV. Recentiores alij dicunt, à fidelibus istorum temporum baptismum super sepulcris mortuorum administratum fuisse, in testimonium & argumentum fidei, quam de resurrecturis illis concepissent. Georgius Major: *Fuit mos in primitivâ ecclesiâ, ut ad confirmandum articulum resurrectionis mortuorum baptizarentur super sepulcris, quò testarentur ipso facto, & hoc signo, se credere resurrectionem mortuorum futuram.* Cæterùm iste mos in nullâ omnino historiâ vel antiquitate sui aliquod vestigium reliquit, nec ullam habet verisimilitudinem. Obtinebat enim cùm apud Iudæos, tum Græcos & Romanos, ut sepulcra extra urbes essent. De Iudæis res nota ex historiâ evangelicâ. In regione Gergesenorum occurrebant Servatori *duo dæmoniaci, è monumentis prodeuntes: sævi valdè, adeo ut nequiret quisquam præterire per viam illam.* Monumenta igitur propè viam. Filius viduæ efferebatur portâ urbis Nain. Monumentum Iosephi Arimathæi extra Ierosolymam in horto erat. *Ab Athenienſibus* M. Marcello, quamvis illustri viro, qualibus tamen is honor Romæ aliquando habebatur, *locum sepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potuit* Servius Sulpicius, *quòd religione se impediri dicerent; neq; id antea cuiquam concessissent.* Ita enim ad Tullium Ciceronem ipse perscripsit Sulpicius. Et ne de Corintho dubites, testis est Pausanias, accedentibus ad eam occurrere in viâ tumulos cùm alios, tum propè ipsam portam, Diogenis Sinopensis, quem canem Græci appellarunt. De Romanis

Matth. 8, 28.
Luc. 7, 12.
Ioh. 19, 14.
4. ad famil. ep. 12.
lib. 2.

CAP. VI.

manis una sufficiat lex, quam ex XII. tabulis memorat Cicero: *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.* Vnde rescripserunt Diocletianus & Maximianus Imperatores: *Mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum jus polluatur, intra civitatem condi jampridem vetitum est.* Nemo itaq; sibi persuadeat, Apostolico seculo defunctos, ut hodie fieri amat, à Christianis intra sacras suas ædes vel propè eas (quamvis nec ipsas illas, quum Apostolus scriberet, habebant) humari consuevisse. Sepeliebantur, qui lautiore erant fortunâ, in suis fundis, hortis vel agris, & si fieri posset, secundùm vias publicas, sive quòd iter facientibus innotescere suive memoriam refricari cuperent, sive *ut prætereuntes admonerent, & se fuisse: & illos esse mortales*, quemadmodum alicubi loquitur Varro. Iuvenalis itaq; vitâ functos notans,

l. 12 C. de relig. & sumt. funer.

5. de ling. latinâ.

satyr. 1.

---- experiar, ait, *quid concedatur in illos,*
Quorum Flaminiâ tegitur cinis, atq; Latinâ.

Christianos hîc quicquam innovare vel mutare nihil attinebat; neq; verò leges neq; consuetudo permittebant. Quis autem credat illos baptismum collaturos urbibus exiviſse, & desertis congressibus, quos in domibus instituerant, sub dio & in vijs publicis sacramentum administrasse? Inprimis, quum ritus sacramentorum ecclesiasticorum, si non Apostolorum, alijs tamen proximè subsequutis temporibus, gentiles & profanos, quàm maximè possent, celatum irent. Inde toties Chrysostomus: ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. Et in hunc ipsum locum de ipso baptismo verba faciens: βέλομαι μὲν σαφῶς αὐτὸ εἰπεῖν, ἀ τολμῶ ἢ διὰ τὰς ἀμυήτους, ὅτι δὲ δυσκολωτέραν ἡμῖν ποιῶσι τὴν ἐξήγησιν, ἀναγκάζοντες, ἢ μὴ λέγειν σαφῶς, ἢ εἰς αὐτὰς ἐκφέρειν τὰ ἀπόῤῥητα. *Cupio quidē perspicuè rem pro-*

proferre: sed propter non initiatos non audeo: hi enim interpretationem nobis reddunt difficiliorem, dum nos cogunt, aut perspicuè non dicere, aut apud ipsos, quæ tacenda sunt, efferre. Ioachimus itaq; Camerarius inconvenientia ista animadvertens, *Quæ more*, ait, *& observatione Christianorum fiebant, ea potissimùm in conventibus, i.e.* ἐν ἐκκλησιαστικαῖς συνάξεσι *peragebantur. Itaq; existimo*, inquit, *studuisse quosdam, ut funeribus propositis, ipsi coram omnibus baptizarentur, ad testimonium spei de resurrectione mortuorum in vitam.* Sed hæc quoq; mera est conjectura, nullo testimonio subnixa. CAP. VI.

XV. Varias equidem protulimus interpretationes; vix tamen ullam, in quâ liceat adquiescere. Sed, ut rectè monet, quem modò laudavimus, Camerarius, *in horum ignoratione nihil detrimenti faciet religio.* Ne tamen lectorem omninò incertum, & sententiæ, quæ nobis arrideat, penitus ignarum dimittamus, haut dissimilabimus, videri nobis verissimum esse quod antiquissimum est; atq; adeo, quod ex supremâ antiquitate Epiphanius & Tertullianus adferunt de vicario baptismo, quem aliqui præsumtione instituerint, admitti debere, & hinc Apostolum argumentum ad hominem, ut dici solet, formare. Ejusmodi enim ad hominem argumenta in hoc capite occurrere pridem monuimus. Servabitur etiam simplex & usitata vocabulorum acceptio, quæ quandocumq; commodè retineri potest, duris & intortis interpretationibus meritò præfertur. Certum autem est, ecclesiam Corinthiorum, cui scribebat Apostolus, non admodum puram, errorumve & viciorum immunem eo tempore fuisse. Fovebant alij per ambitionem & æmulationem, contentiones atq; schismata; non nemo cum novercâ suâ detestandum

1. Cor. 1. v. 11. & 12.

CAP. VI. matrimonium inierat; alij coram judicibus infidelibus
cap. 5. scandalosè litigabant; alij libertate Christianâ abute-
cap. 6. c. 8. & 12. bantur, & ipsis quoq; spiritualibus donis. Quando
cap. 11. congregabantur, οὐκ εἰς τὸ κρεῖττον, ἀλλ' εἰς τὸ ἧττον convenie-
bant, & profana sympoſia Dominicæ cœnæ permiſce-
bant, ut primam Christi institutionem ob oculos pone-
re Apostolus neceſſe habuerit. Nonnulli, ſicut dictum
fuit, eò provecti ſunt uſq;, ut fundamentum religionis,
cap. 15. v. 34. reſurrectionem mortuorum negarent. ἀγνωσίαν θεοῦ τινες
ἔχουσι. πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω, ſcribit Apoſtolus. Quid
itaq; mirum homines tot tantiſq; erroribus & abuſibus
obnoxios, errorem etiam & abuſum circa baptiſmi ad-
miniſtrationem invehere, & qui ſacramentum Eucha-
riſtiæ profanabant, baptiſmi quoq; ſacramentum pro-
fanare?

XVI. At, inquies, quî fit, quòd nullo verbo tan-
tum abuſum reprehendat Apoſtolus? Hæc enim com-
munis omnium ferè neotericorum ſive exceptio,
ſive objectio. Dicamus, quod Marcionitis hoc lo-
co abuſis repoſuit Chryſoſtomus: *Ludricum videtis, quid ergo? num ad id eſt reſpondendum? non puto, niſi & furioſis ad ea, quæ delirant, reſpondendum cenſes. ---- Nam ſi iſtud quidem concedatur, ac voluntate & ſtudio ejus, qui regnum cœlorum ingreſſurus ſit, non fuerit opus, quid obſtat, quò minùs ethnicus quoq; & Judæus hoc modo rogari, hoc modo fidelis eſſe poſſit, aliis exſequentibus ea poſt illorum obitum?* Nempe baptiſmi ſuſceptio-
nem nequaquam mortuis, ſed vivis injunctam fuiſſe &
prodeſſe poſſe, aliunde & ex ipsâ rei ratione baptiſmiq;
inſtitutione conſtabat.

XVII. Neq; verò Apoſtolus reprehenſione penitus
abſtinuit. Ipſe enim ſermo & loquentis ſive ſcriben-

tis

tis gestus, indignantis & reprehendentis videtur esse. CAP VI.
Expendantur pressiùs verba : *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis ? Si omnino mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro mortuis ?* Ea repetitio animi ægre ferentis argumentum est. Neq; dicit Apostolus : τί ποιήσομεν, sed τί ποιήσουσιν. Item οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ubi articulus ὁρισικὸς innuit haut passim & ab omnibus Christianis id factitatum fuisse, neq; pro quibusuis mortuis, sed ab aliquibus & pro aliquibus, οἱ δεῖνα ὑπὲρ τῶν δεῖνα. Nonnulli superstitiosi pro quibusdam, quorum defunctorum sollicitudine anxij tenebantur, & salutem hoc pacto promoveri posse frustra sperabant. Aliàs & ubicumq; fieri potest, cum reliquis fidelibus & ijs, quibus scribit, sese conjungere amat Apostolus, ut passim in ejus epistolis licet animadvertere. Si res, de quâ hîc loquitur, ab omnibus fidelibus recepta esset, vel licita modò, aut ipsi probaretur, utiq; sese conjungeret; saltim sese tam manifestò non disiungeret & separaret. τί ποιήσουσιν, inquit, οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν; Si mortui non resurgunt, quur illi pro mortuis baptizantur ? quur etiam nos spe resurrectionis subnixi nulla pericula reformidamus ? Evidens disiunctio eorum, de quibus præmittit, à semetipso alijsq; de quibus subjungit. Quasi dicat : Illi quidem quod faciunt, per errorem faciunt; nos quæ patimur, certa & vera divinitùs edocti patimur. Vtriq; autem & illi per errorem agentes, & nos firmâ spe patientes ad resurrectionem respicimus. Hæc observatio sive consideratio reliquis plerisq; expositionibus probabilitatem adimit, præsertim Chrysostomianæ, Theodoreti, utriq; Sedulij & recentioribus cùm Bellarmini

Cap. VI. tum Maldonati. Nos ex occasione ad difficilimum hunc locum, expensis aliorum interpretationibus, quod nobis visum fuit, adjunximus; idq; ipsum eruditissimo quoq; viro VVolfgango Musculo, inspectis ejus commentarijs, probari animadvertimus. Nescio an fidendum memoriæ, quæ quasi per nebulam suggerit, lectas nobis ante aliquot annos Notas quasdam sub nomine Iosephi Scaligeri, posthumas, ad calcem recentis cujusdam editionis Novi fœderis adjectas, quibus à summo illo viro idem fuerit adsertum. Neq; enim librum in promtu nunc habemus, neq; à quoquam (quæ miseria temporum est) commodato possumus petere. Quicquid sit, quicumq; rectiora & certiora docuerit, is profectò magnam à nobis gratiam inibit.

XIIX. Connectit Apostolus cum superiore argumentum, cujus paullo antè meminimus, opponens opinioni perperam agentium certam spem glorioſè patientium, & sicut ex illâ, ita ex hac quoq; resurrectionem confirmans. Dicit, nisi sit resurrectio mortuorum & spes retributionis, frustra fore se aliosq;, quotquot pro veritate & Christo extrema quæq; subeant & perpetiantur. *Quur etiam nos*, ait, *periclitamur omni momento*? *Si secundum hominem*, id est, laudis vel quæstus ergo, aliasùe ob causas, propter quas homines seculi pericula adire solent, ἐθηριομάχησα *adversus bestias pugnavi Epheſi*, adversus homines videlicet feros & belluinos, qualis Demetrius cum complicibus, Act. XIX; *quæ mihi utilitas*? Nulla scilicet. nihil enim popularis gloriæ, nihil lucri vel reportavi, vel reportare desidero. Postremò *Si mortui non suscitantur*, non tantùm frustra erimus capita nostra tot periculis obijcientes, sed ijs potius

1 Cor. 15. v. 30. v. 32.

tius accedendum fuerit, qui dicunt: *Φάγωμεν καὶ πίωμεν, ἄυριον γὰρ ἀποθνήσκομεν. Edamus & bibamus, cras enim morimur.* Quippe sublatâ exspectatione præmiorum & pœnarum, nihil præter curam ventris & voluptatum supererit. *Nemo enim tam carnaliter vivit, quàm qui negant carnis resurrectionem*, ait Tertullianus. CAP. VII. de resurr. c. 11.

XIX. Atq; ita ostendimus, quomodo simplici adsertione, quæ alioquin sufficeret, non contentus Apostolus, argumentis Resurrectionem adversus eos qui negabant vel in dubium vocabant, defendendam sibi sumserit. Subjungit de modo & circumstantijs ejus; itemq; de conditione & qualitatibus redivivorum corporum: quibus de rebus nos quoq; suo loco tractabimus.

CAPVT VII.

Quid prisci ecclesiæ doctores de Resurrectione scripserint, & quomodo contra paganos eam defenderint.

DEmonstravimus Resurrectionem mortuorum ex Scripturis. Operæ quoq; precium est, quid ab antiquissimis ecclesiæ doctoribus de eâ scriptum sit, & quomodo contra infideles & paganos defensa fuerit, considerare. Obtinebat enim illis temporibus, quod ex rei veritate & sua experientiâ scripsit Augustinus: *In nullâ re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè & contentiosè contradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione. Nam & de animi immortalitate multi etiam philosophi gentium multa disputaverunt, & immortalem esse animum humanum pluribus & multiplicibus libris conscriptum* in Ps. 88. parte 2.

CAP. VII. *reliquerunt. Quum ventum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubant, sed apertissimè contradicunt, & contradictio eorum talis est, ut dicant fieri non posse, ut caro ista terrena possit in cœlum adscendere.*

Præcipua igitur opera veterum Patrum, ut ostendant, posse divinitùs carnem resuscitari & immortalitate donari; nec esse quare hanc doctrinam tamquam absonam vel absurdam quisquam repudiet, quum multa quoq; sint tam in rerum naturâ, quàm apud ipsos gentilium scriptores, quæ eam probabilem reddant & ad credendum invitent.

II. Iustinus, scriptorum post Apostolorum ætatem, quorum quidem monumenta genuina & incorrupta exstent, antiquissimus apologiâ ad Antoninum Pium de Resurrectione in hunc modum scribit: *Rem ipsam secum consideranti utrum incredibilius videatur, si quum in corpore nondum essemus, diceret aliquis, ex parvâ quapiam humani seminis guttâ fieri posse, ut ossa, nervi & carnes ad eam, quam videmus, efformata effigiem exsistant* ------ ὃν τρόπον τὴν ἀρχὴν οὐκ ἂν ὄπις δοῦτε ἐκ τῆς μικρᾶς ῥανίδος δυνατὸν πιστεῦσαι γενέσθαι, καὶ ὁρῶντες γενομένους τὸν αὐτὸν τρόπον λογίσασθε, ὅτι διαλυθέντα τὰ ἀνθρώπεια σώματα, καὶ καιρὸν προστάξει θεὸς ἀναστῆναι, καὶ ἀφθαρσίαν ἐνδύσασθαι οὐκ ἀδύνατον. *Quemadmodum ab initio non credidisses possibile esse, ut è tenui guttâ tales fierent, quales factos videtis: pari modo existimate non esse impossibile, ut dissoluta atq; seminum instar in terram disiecta corpora humana, tempore suo, Dei jussu resurgant & incorruptibilitatem induant.*

III. Athenagoræ, qui M. Aurelio Antonino Philosopho, ejusq; filio Commodo apologiam pro Christianis obtulit, libellus in hoc argumenti genere facilè ex antiquitate primas tenet. Dicit ille duplici oratione opus esse, unâ ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, alterâ περὶ τῆς ἀληθείας prio-

priore quidem πρὸς τὰς ἀπιστοῦντας, ἢ τὰς ἀμφιβάλλοντας: posteriore verò πρὸς τὰς εὐγνωμονοῦντας καὶ μετ' εὐνοίας δεχομένους τὴν ἀλήθειαν. Se utilitatis ergò illâ, quæ ὠφελείας sit, priùs usurum. *Tunc*, inquit, *incredulitas justam rationem habet, quando res ipsa, quæ non creditur, quiddam incredibile continet.* Demonstrent igitur, ἢ ἀδύνατον τῷ θεῷ, ἢ ἀβέλτιον, ἢ νεκρωθέντα τῶν σωμάτων, ἢ καὶ πάντη ἀπολωλότα, πάλιν ἑνῶσαι καὶ συναγαγεῖν πρὸς τὴν τῶν αὐτῶν ἀνθρώπων σύστασιν, *deesse Deo vel potentiam vel voluntatem de mortua corpora aut etiam penitus dissipata restituendi & ad pristinam eorumdem, qui prius fuerant, constitutionem reducendi.* Si ἀδύνατον, inde erit, quia Deus *vel quid agendum sit, nesciat; vel si norit, imbecillior sit viribus, quàm ut probè efficiat.* Neutrum autem credi posse vel debere, prolixè ostendit, respondens etiam objectionibus; quarum fortè aliquas nos quoq; infrà attingemus, & ex auctore, quæ videbitur, adducemus. Et ἀπὸ τούτων, inquit, ὡς ἐνδόξων, δείκνυσιν ὁ λόγος, per hæc tamquam probabilia demonstrat ratio, resurrectionem non esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Pergit ut ostendat, non esse à voluntate Dei alienam: nempe quia nec injusta sit, quippe quæ nullam injuriam inferat vel Angelis, vel brutis, vel ipsi homini; nec indigna Deo, quo quia indigna non fuit corruptibilis corporis creatio, multò minùs indigna esse poterit incorruptibilis resuscitatio. Hactenus ὠφελείας: sequitur λόγος περὶ τῆς ἀληθείας, ὁ μὲν ἀναγκαῖος πᾶσιν ἀνθρώποις πρὸς ἀσφάλειαν καὶ σωτηρίαν, *qui quidem*, ait, *omnibus hominibus ad certitudinem & salutem necessarius est.* Probat autem resurrectionẽ primùm à fine, ob quem conditi sint homines, quibus utpote τῆς αὐτὸν ἐν ἑαυτῇ ἀγαλματοφορῆσαι τὸν ποιητὴν, perpetuam diuturnitatem præstitutam oporteat; quæ absq; resur- CAP. VII.

Cap. VII. resurrectione fit, contingere nequeat. Deinde ex naturâ hominis, qui constat animâ & corpore: neq; enim sola anima homo est. Si igitur aliquis homini præstitutus est proprius finis, isq; interitûs expers, aut homo excidet proprio suo fine, aut animam & corpus per resurrectionem denuò uniri oportet. Tertium & postremum argumentum est à judicio divino, quod quia justissimum est, fieri non potest, ut anima sola talionem referat eorum, quæ unà cum corpore gessit. Atq; hæc argumenta latè persequitur, præcipuè ultimum. Ista quidem summa est libri, quem de Resurrectione scripsit Athenagoras, auctor vetustissimus.

IV. Huic meritò subjungitur Theophilus Antiochenus, qui eâdem vixit ætate, & tribus ad Autolycum hominem gentilem libris pro religione Christianâ adversus ethnicos disputavit. Iubet ille ad probabilitatem Resurrectioni conciliandam observare dierum & noctium vicissitudines; τὴν ἀνάστασιν τῆς σελήνης τὴν κατὰ μῆνα γενομένην, πῶς φύεται καὶ ἀνίσταται πάλιν: quomodo item ex minutissimis granis enascantur herbæ & Ingentes arbores. Ταῦτα δὲ πάντα, inquit, ἐνεργεῖ ἡ τοῦ θεοῦ σοφία, εἰς τὸ ἐπιδεῖξαι καὶ διὰ τούτων, ὅτι δυνατός ἐστιν ὁ θεὸς ποιῆσαι τὴν καθολικὴν ἀνάστασιν ἁπάντων ἀνθρώπων. *Hæc omnia operatur Dei sapientia, ut per hæc ipsa confirmet, quòd potens sit Deus universalem omnium hominum resurrectionem efficere.* Non pigebit, quæ de semetipso Theophilus subjungit, adjicere: digna sunt enim quæ notentur: κἀγὼ δέ ἐγὼ, inquit, ἠπίστουν τοῦτο ἔσεσθαι, ἀλλὰ νῦν καταγνοὺς αὐτὰ πιστεύω, ἅμα καὶ ἐπιτυχὼν ἱερᾶς γραφῆς τῶν ἁγίων προφητῶν, οἱ κατὰ προεῖπον διὰ πνεύματος θεοῦ τὰ προγεγονότα ὡς τρόπῳ γέγονε, καὶ τὰ ἐνεστῶτα πῶς τρόπῳ γίνεται, καὶ τὰ ἐξερχόμενα πῶς τάξει ἀπαρτισθήσεται. ἀπόδειξιν δὲ λαβὼν τῶν γινομένων καὶ προα-

lib. 1. sub finem.

προαναπεφωνεμένων, οὐκ ἀπιστῶ, ἀλλὰ πιστεύω πειθαρχῶν θεῷ, ὦ εἰ βούλει, καὶ σὺ ὑποτάγηθι, πιστεύων αὐτῷ, μὴ νῦν ἀπιστήσας, πεισθῇς ἀνιώμενος τότε ἐν αἰωνίαις τιμωρίαις. ------ εἰ δὲ βούλει καὶ σὺ, ἔντυχε φιλοτίμως ταῖς προφητικαῖς γραφαῖς, καὶ αὐταί σε τρανότερον ὁδηγήσουσι πρὸς τὸ ἐκφυγεῖν τὰς αἰωνίους κολάσεις, καὶ τυχεῖν τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν τοῦ θεοῦ. *Et ego aliquando haut credebam resurrectionem futuram, sed nunc credo postquam ista,* de quibus dictum anteà, *expendi, simul etiam incidens in sacras scripturas sanctorum prophetarum, qui per spiritum Dei enunciarunt quæ facta fuerunt, quomodo sunt facta; & præsentia quomodo fiunt; & ventura ita, uti perficientur. Convictus igitur ex ijs quæ eveniunt & prædicta fuerunt, non amplius hæsito, sed credo obtemperans Deo, cui tu quoq; subijcitor & fidem habeto, ne si nunc incredulus esse pergas, aliquando credere cogaris magno tuo malo in sempiternis pœnis. ------ Verùm tute, si placet, adi studiosè propheticas scripturas: & ipsæ majore evidentiâ te instituent, quo pacto effugere possis sempiternas pœnas, & nancisci perennia bona, quæ Deus promisit.* Observa benè, quomodo hominem ethnicum antiquissimus & probatissimus ecclesiæ doctor ad exemplum suæ ipsius conversionis tractet. Primò quidem obvijs & popularibus utitur argumentis, ut probabilitatem resurrectionis persuadeat, & contrariam de impossibilitate opinionem, si quæ animo insederit, eximat. Deinde Scripturas proponit, & eas jubet evoluere. Nihil aliud. Vbi ergò auctoritas ecclesiæ & Romani pontificis, absq; cujus interventu nullius Christiani dogmatis fidem acquiri vel haberi posse hodie nonnulli dictitant?

V. Suppar prioribus & ætate & argumento scriptionis Tatianus, qui in *florentissimo contra gentes libro,* uti eum Hieronymus appellat, de Resurrectione in hunc mo- de scriptor. c. 29.

CAP. VII. modum verba facit. ὥσπερ οὐκ ὢν πρὶν ἢ γένεσθαι τίς ἤμην οὐκ ἐγίνωσκον, μόνον δὲ ἐν ὑποστάσει τῆς σαρκικῆς ὕλης ὑπῆρχον, γεγονὼς δὲ ὁ μὴ πάλαι, διὰ τῆς γενέσεως τὸ εἶναι πεπίστευκα, τὸν αὐτὸν τρόπον ὁ γενόμενος, καὶ διὰ θανάτου μηκέτι ὤν, αὖθίς τε μηκέθ' ὁρώμενος, ἔσομαι πάλιν ὥσπερ μὴ πάλαι γεγονὼς εἶτα γενηθεὶς. κἂν πῦρ ἐξαφανίσῃ πᾶν τὸ σαρκίον, ἐξατμισθεῖσαν τὴν ὕλην ὁ κόσμος κεχώρηκεν, κἂν ἐν ποταμοῖς, κἂν ἐν θαλάσσαις ἐκδαπανηθῶ, κἂν ὑπὸ θηρίων διασπασθῶ, ταμείοις ἐναπόκειμαι πλουσίου δεσπότου. καὶ ὁ μὲν * πτωχὸς καὶ ἄθεος οὐκ οἶδε τὰ ἀποκείμενα, θεὸς δὲ ὁ βασιλεύων, ὅτε βούλεται, τὴν ὁρατὴν αὐτῷ μόνῳ ὑπόστασιν ὑπὸ καταστήσει πρὸς τὸ ἀρχαῖον. *Quemadmodum quum nullus essem, priusquam fierem, quis essem, ignorabam, & tantùm in subjecto materiæ carnalis existebam; genitus verò, qui pridem non fueram, ex ipsâ generatione, quòd existam, convictus credidi: ad eundem modum genitus quidem, sed per mortem ad non esse redactus iterumq; factus inconspicuus, denuò ero, non aliter, quàm quum quondam non essem natus, posteà tamen procreatus sum. Quamvis enim totam carnem incendium ex oculis auferat, materiam tamen evaporatam mundus excipit: quamvis in fluviis aut in mari absumar, vel à feris dilanier, condor tamen in penu divitis Domini. Improbus quidem & atheus depositum nesciunt: Deus autem, qui regnat, substantiam sibi soli conspicuam, ubi volet, pristinæ integritati restituet.* Obiter moneo, in eadem oratione sive libro, nonnullis interjectis occurrere de animâ loquutionem satis duram, quæ nisi commodâ aliquâ interpretatione emolliatur, Arabicorum opinioni, de quâ superiùs actum fuit, favere videbitur. οὐκ ἔστιν ἀθάνατος, ἄνδρες ἕλληνες, ἡ ψυχὴ καθ' ἑαυτὴν, θνητὴ δὲ, ἀλλὰ δύναται ἡ αὐτὴ καὶ μὴ ἀποθνήσκειν. θνήσκει μὲν γὰρ καὶ λύεται μετὰ τοῦ σώματος, μὴ γινώσκουσα τὴν ἀλήθειαν, ἀνίσταται δὲ εἰς ὕστερον ἐπὶ συντελείᾳ τοῦ κόσμου σὺν τῷ σώματι θάνατον διὰ τιμωρίας ἐν ἀθανασίᾳ λαμβάνουσα, πάλιν τε οὐ θνή-

paullò post initium.

* πονηρὸς fortè.

c. 3. num. 2.

θνήσκει, κἂν πρὸς καιρὸν λυθῇ, τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θεοῦ πεποιημένη. CAP. VII.
Non immortalis est anima, ô Græci, suapte naturâ, sed mortalis: eadem tamen ne moriatur, fieri potest. Moritur enim & dissolvitur cum corpore, quæ veritatis ignara est, resurgit autem posteà in consummatione seculi unà cum corpore, mortem in ipsâ immortalitate per supplicia sentiens. Et rursus non moritur, quamvis ad tempus solvatur, quæ Dei cognitione instructa est.

VI. Proximus est Irenæus episcopus & martyr, qui quamvis græcè scripserit, græcè tamen quæ scripsit, non exstant. Disputat autem pro Resurrectione contra Valentinianos & Gnosticos, qui utpote hæretici & Christianæ religionis corruptores, à Christianâ tamen religione ejusq; fundamento Sacrâ Scripturâ non erant prorsus alieni. Non igitur eo saltim modo, quo superiores scriptores contra græcos & gentiles, sed potissimùm ex Scripturis & alijs doctrinæ Christianæ capitibus resurrectionem deducit & confirmat, librorum quidem, quos scripsit, quincto & ultimo, capite quarto & sequentibus, usq; ad XV. Notandum autem argumentum ipsi proprium, quo sub initium ejus disputationis utitur. *Eum,* inquit, *calicem, qui est creatura, suum* cap. 4.
corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora. Quando ergò & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia corporis & sanguinis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia, quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum ejus est? Posteà argumentum ducit à longævâ priscorum vitâ; à translatione He- cap. 7.
noch & Eliæ; à Ionâ in ventre ceti, & Ananiâ, Azariâ & Mizaële in ardente camino servatis. *Quemadmodum,* inquit, *his qui nunc sunt hominibus, ignorantibus dispositionem*

CAP. VII. *Dei, incredibile & impossibile videretur tantos annos aliquem hominem posse vivere, & vixerunt hi qui ante nos fuerunt, & vivunt qui translati sunt ad exemplum longitudinis dierum; & de ventre ceti & camino ignis salvos exisse, & tamen exierunt, educti velut manu Dei, ad ostensionem virtutis ejus: sic & nunc, quamvis quidam ignorantes virtutem & promissionem Dei contradicant suæ saluti, impossibile existimantes posse Deum suscitantem corpora in sempiternum perseverationem eis donare, non tamen incredulitas talium evacuat fidem Dei.* Vrget etiam, cap. 9. quòd corpora nostra templum sint Dei. *Templum* autem *Dei*, inquit, *in quo Spiritus inhabitat Patris, & membra Christi non participare salutem, sed in perditionem redigi dicere, quomodo non maxima est blasphemia?* Adi ipsum, & reliqua, si lubet, lege.

VII. Tertullianus Latinorum antiquissimus itidem contra hæreticos & ad eumdem ferè modum de Resurrectione satis prolixè agit libro peculiari, quem ab illustri hac sententiâ orditur: *Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum*; & claudit epilogo non minùs egregio: *Resurget igitur*, inquit, *caro, & quidem omnis, & quidem ipsa, & quidem integra. In deposito est ubicumq; apud Deum, per fidelissimum sequestrem Dei & hominum Iesum Christum, qui & homini Deum, & hominem Deo reddet, carni spiritum & spiritui carnem. Vtrumq; jam in semetipso fœderavit, sponsam sponso & sponsum sponsæ comparavit. Nam etsi animam quis contenderit sponsam, vel dotis nomine sequetur animam caro. Non erit anima prostituta, ut nuda suscipiatur à sponso. Habet instrumentum, habet cultum, habet mancipium suum carnem, ut collactaneam comitabitur.* Ita quidem editiones, & ipsa Pamelij. lego verò *collactaneam*; nempe anima carnem, cum quâ ab ortu suo fuit conjuncta & quasi eodem lacte enutri-

nutrita, comitem trahet. Munit autem Tertullianus viam demonstrandæ adversus hæreticos resurrectioni, ostendens primò non obstare, uti sciscant hæretici, ignobilitatem carnis, quæ & à Deo condita sit, & Christianis sacramentis initietur, *abluatur*, *unguatur*, *signetur*, *manus impositione adumbretur*, *corpore & sanguine Christi vescatur*; neq; deesse Deo potentiam, cujus exempla sint diei & noctis; æstatis & hyemis; veris & autumni vicissitudines. *Totus*, ait, *hic ordo revolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus præscripsit eam Deus antè, quàm literis: viribus prædicavit antè, quàm vocibus. Præmisit tibi naturam magistram, submissurus & prophetiam, quò facilius credas prophetia, discipulus naturæ: quò statim admittas, quum audieris, quod ubiq; jam videris: nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium nôris restitutorem.* Subjungit de phœnice, *aliter orientis peculiari, de singularitate famoso, de posteritate monstruoso, qui semet ipsum lubenter funerans renovet*; adducens etiam rei probandæ locum psalmi, *Florebit velut phœnix.* In Græco est, Δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει, ὡσεὶ κέδρος ἡ ἐν τῷ λιβάνῳ πληθυνθήσεται. *Justus sicut palma florebit, sicut cedrus in Libano multiplicabitur.* Arbor itaq; in avem perperam transformata. Tandem justitiam Dei & rationem exactissimi judicij exigere, ut corpus atq; anima denuò uniantur. His præstructionibus & præjudicijs, ut ipse loquitur, usus ad rem ipsam propiùs accedit, & *Videamus*, inquit, *hoc primum; quonam titulo spes ista perscripta sit. Unum opinor apud omnes edictum Dei pendet, Resurrectio mortuorum.* Hoc edictum sive decretum divinum è Scripturis reddi manifestum; quas juxta literam, nec ubiq;, ut adversarijs in usu erat, figuratè & spiritualiter accipiendas esse, prolixè demon-

Cap. VII.
c. 4. & 5.
c. 8.
c. 12.
c. 13.
ps. 92. 13.
c. 14.
c. 18.

CAP. VII. ſtrat. Sed parco plura adſcribere, quòd ipſos auctores à Theologiæ ſtudioſis adiri velim.

IIX. Minucius Felix, qui eâdem cum Tertulliano ætate vixit, in Octavio ſuo, erudito & elegante libro, de Reſurrectione in hunc modum loquitur: *Quis tam Stultus aut brutus eſt, ut audeat repugnare, hominem à Deo ut primùm potuit fingi, ita poſſe denuò reformari? ſicut de nihilo naſci licuit, ita de nihilo licere reparari? porrò difficilius eſt id, quod non ſit, incipere, quàm id quod fuerit, iterare. Tu perire Deo credis, ſi quid oculis noſtris hebetibus ſubtrahitur? Corpus omne ſive areſcit in pulverem, ſive in humorem ſolvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, ſubducitur nobis: ſed Deo elementorum cuſtodi reſervatur.*

IX. Zeno, quem Veronenſes octavum ſuum epiſcopum numerant, & ſub Galieno dicunt martyrio coronatum, ut Cypriani proinde æqualis fuerit, ſermonem de Reſurrectione, qui hodiè inter opera ejus ultimum locum obtinet, ab his verbis orditur: *Quisquis reſurrectionem negat, vitam ſuammet ipſe condemnat, quur enim mereatur felicitatem futuri temporis cernere, quem videas ſacrilegâ incredulitate Dei potentiæ derogare? Sed hoc amore criminum faciunt, ut putent impunita fore, quæ clanculò gerunt.*

X. Methodius Tyri epiſcopus, *ad extremum noviſſimæ* ſub Diocletiano videlicet, *perſequutionis, ſive ut alij affirmant, ſub Decio & Valeriano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus, confecit de Reſurrectione opus egregium contra Origenem.* Hæc totidem ferè verbis Hieronymus in libro de ſcriptoribus. Ex illo autem, quod laudat opera, fragmentum bene magnum unà cum ipſius Origenis & Procli cujuſdam Origeniſtæ verbis ſuo contra hæreſes Panario inſervit Epiphanius; & excerpta nonnulla bi-

cap. 83.

hær. 6.

blio

bliothecæ ſuæ Photius. Sed Origenis opinionem ſive errorem inferiùs examinabimus. CAP. VII. cod. 224.

XI. Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi φωπζομένων ſive Illuminatorum, hoc eſt, baptizatorum XIIX, eâq; ultimâ Reſurrectionem ad ethnicos typis & rationibus ſuadet; ad alios è Scripturâ probat. Orditur ab his verbis: *Radix totius bonæ operationis eſt ſpes reſurrectionis.* Mox objectionem infidelium proponit: *Interijt homo & mortuus computruit, & totus in vermes reſolutus eſt, atq; ij vermes quoq; interierunt, putrefactio tanta & corruptio corpus excepit, quomodo ita rurſus reſurget? Navigatores à piſcibus devorati ſunt; & ipſi quoq; piſces comeſti ſunt. Eos qui cum beſtiis pugnârunt, urſi & leones unà cum oſſibus comminuerunt. Vultures & corvi, qui humi projectorum cadavera comederunt, in univerſum mundum diſperſi ſunt: unde congregabitur corpus?* Reſpondet autem non inconcinnè: *Deo, qui terram pugillo continet, omnia ſunt propinqua. ----- Cogita diverſa germinũ ſemina miſceri (infirmo tibi in fide infirma propono exempla) & tuo pugillo contineri: eſt ne tibi homini facilis an magna res pugillum aperire, unumquodq; ſemen ad ſuam ſpeciem congregare & ad germen reſtaurare? Et tu quidem id in tuo pugillo poteris: Deus verò quæ ſuo pugillo continentur, diſcernere, congregare & reſtaurare non poterit?* Deinde argumentatur à Dei juſtitiâ. Profert typos ſeminum, frugum, arborum, etiam Phœnicis. Addit: *Ante centum vel ducentos annos, nos omnes qui loquimur & audimus, ubi eramus? Accipe autem & ex cælo*, ait, *apertam Reſurrectionis demonſtrationem, quæ ſingulis lunaribus menſibus declaratur ----- & quod circa Lunam in cælo vides, hoc etiam de temetipſo credas. His igitur*, inquit, *verbis ad Græcos utere, nam eos qui Scripturas nõ recipiunt: ne ſcriptis armis oppugna, ſed ſolis ratiocinationibus*

CAP. VII. *bus & demonstrationibus. Istis enim neq; quis Moses sit, notum est, neq; quis Iesaias; neq; Evangelia, neq; Paulum agnoscunt.* Transit ad alios, qui Scripturam recipiant, & ex eâ testimonia de Resurrectione subjungit.

XII. Gregorius Nyssenus de Resurrectione Christi tres scripsit orationes, quarum postremâ nostram adserit ijsdem ferè rationibus & argumentis, quæ ex alijs hactenus protulimus. Simile tamen, quod ejus verbis subjungemus, illi proprium. *Serpentum vivida virtus hyberno tempore mortificatur, & menses sex in cavernis delitescunt immobiles. Quum autem præstitutũ tempus advenerit, & tonitrua in mundo exaudita fuerint, quasi quoddam signum fragorem excipientes, celeriter exsiliunt. Dicat mihi* βασανιστὴς καὶ ἐπιγνώμων *examinator & arbiter operum Dei doceatq; me, quâ ratione concedat angues quidẽ fragore tonitrui resuscitari, homines verò non admittat tubâ Dei de cœlo resonante animari & vivificari?* Eamdem quoque doctrinam tractat libro, quem θαυμαστὸν veteres dixerunt, περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου, capp. XXV, XXVI & XXVII; quorum ultimo docet *animum affectione & amore à naturâ singulari corpus, in cujus quasi contubernio fuit, prosequi, &* ἀῤῥήτῳ τινὶ τῇ τῆς φύσεως ὁλκῇ ad ejus conjunctionem ferri. Quin suum sibi corpus attrahere, & ad sese colligere: imò singulas corporis particulas, propter cognationem, modò divinitùs permittantur, inter sese mutuò suâ sponte coituras. Rem declarat exemplo. *Vivum, quod vocant, argentum ajunt effusum capsâ loco supino & pulvere oppleto, minutos in globulos conformatum passim ita per terram dispergi, ut nullâ cum re, in quam incidit, commisceatur. Quod si quis deinde multipliciter dispersum vicissim colligat, cõfluere suâ sponte singula, quæ generis ejusdem sunt, nullamq; interijci rem posse, quæ commistionem*

hanc

hanc impedire queat. Huiusmodi quiddam & in humani corporis compage statuendum existimo. Quam primum diuinitùs signo quasi dato concessa facultas sit, partes sibi conuenientes & cognatas misceri sua sponte, neq; quicquam ex hoc laboris molestiæue instauratori naturæ creari. Sed posterius hoc siue de attractione animæ siue de spontaneo particularum corporis concursu sine dubio falsum: vti etiam prius de naturali animæ separatæ ad suum corpus inclinatione non admodum certum. Ex disputatione de animâ & resurrectione cum sorore Macrinâ nihil profero, quòd scriptum illud vel suppositum vel valdè interpolatum esse iudicetur. CAP. VII.

XIII. Ambrosius, quum fratri suo Satyro unâ oratione parentasset, alterâ de fide resurrectionis agit, vt efficacissimo remedio ægritudini suæ mederetur, & dolorem sedaret. Nam, vt hac posteriore loquitur ipse, *quem dolorem non soletur resurrectionis gratia? quem non excludat mœrorem, si credas nihil perire morte; imò ipsius celeritate fieri mortis, plus perire ne possit? --- Quur mœstitiam tuam non ratio potius, quàm dies leniat? Nam quod obliteratura est temporis series, melius prudentia mitigabit.* Recensendis autem argumentis eius, quæ petit, vt verba habent, *à ratione, vniuersitatis exemplo, testimonio rei gestæ*, supersedebimus, quum pleraq; iam antè ex alijs antiquioribus fuerint adducta.

XIV. Hieronymus ad Pammachium contra Origenem disputat, & Iohannem Ierosolymitanum, qui Origenem sequutus aliam carnem, quàm quæ occumbat & moriatur, resurrecturam adserebat, redarguit. Sed eâ de re inferiùs nos agemus. ep. 61. c. 8.

XV. Rufinus quoq; Expositione in symbolum Apostolicum, quæ aliquando Cypriano tributa fuita, ea de

CAP. VII. Resurrectione scripsit, quæ lectu nec indigna nec iucunda sunt. Inter cætera: *Quur, quæso te, tam angustus & inualidus diuinæ potentiæ æstimator es, vt dispersum vniuscuiusque carnis puluerem in suam rationem colligi & reparari posse non censeas, quum videas quòd etiam mortale ingenium demersus in profundum terræ metallorum venas rimatur, & artificis oculus aurum videt, in quo imperitus terram putet? Nec tantum quidem concedimus ei, qui fecit hominem, quantum homo, qui ab ipso factus est, adsequi potest.*

XVI. Iohannes Chrysostomus aliquot de Resurrectione sermones habuit, qui exstant tomo tertio editionis anni 1558. Basileensis. Vno in verba Apostoli, *De dormientibus nolo vos ignorare fratres* (eum in quinto tomo Sauilianæ inuenies, numero sexagesimum primum) elegantem adhibet similitudinem, earum formandarum insignis aliàs artifex, quam non possumus facere, quin adscribamus. *Domum antiquam & ruinosam ex ædificaturus aliquis habitatores domus primò amandat, deinde ædificium diruit, & ædes magnificentiores exstruit. Quæres habitatores non excruciat, sed multò magis recreat. Non enim in præsentem ruinam intuentur, sed futurum & adhuc minimè adspectabile ædificium animo sequuntur. Sic & Deus facturus corpus nostrum dissolvit, & animam illud incolentem quasi domo educit, vt magnificentiorem domum exstruens majore cum gloriâ eam rursus introducat. Non igitur in hanc quasi ruinam, sed in futurum splendorem cogitationē defigamus.* Aliam nō multùm dissimilem adhibet sermone, inter IX. de Resurrectione juxta editionem Basileensem primo: *Semina nisi priùs moriantur, & putrescant, & corrumpantur, non pariunt aristam. Sicut itaq; qui videt granum in terrâ corrumpi & dissolvi, non dubitat de resurrectione, sed certissimam demonstrationem facit: nam si ita maneret,*

1. Thess. 4. 13.

tom. 3. pag. 342.

ret, neq; corrumperetur vel dissolueretur, certum quod numquam resurgeret. Sic etiam cogita de corpore tuo; quum vides corruptionem, tum potissimum de resurrectione philosophare. CAP. VII.

XVII. Augustinus, eximius ille doctorum, ecclesiæ grande decus columenq;, illustris, operis, quod de Ciuitate Dei inscripsit, postremis libris tribus agit de nouissimis rerum, extremo videlicet vniversali judicio, æternis gaudijs & pœnis: præsertim verò vltimo libro & potissimùm quidem à XII. capite ad XXII vsq; de Resurrectione disputat, eam aduersus infideles confirmat, & varias, quæ de eâ moveri possunt, quæstiones dissoluit. Nihil verborum illius hîc adducemus, quòd eis aliàs passim nobis vtendum sit.

XIIX. AEneas Gazæus, Philosophus Platonicus Christianus, viuens ante finem seculi post natum Christum quincti sub imperatoribus Zenone & Anastasio, dialogum scripsit, cujus priore parte immortalitatem animæ, posteriore corporum resurrectionem suadet & confirmat. Dialogo indidit nomen Theophrasti. Theophrastum enim quemdam introducit, qui ab Axitheo erudiatur & veritatem doceatur. Oggerit Theophrastus: *An terrenum hoc corpus resuscitatum iri putas? at id miraculisimile fuerit, quandoquidem diffluxit & dispersum est; & aliud quidem à piscibus laniatum, aliud autẽ ab auibus discerptum est; eaq; animalia vicissim ab alijs capta & absumta sunt, vt ne vllum quidem vestigium humani corporis supersit.* Respondet autem Axitheus: *Annon humanum corpus, & piscis, & fera, & auis in elemẽta recurrunt, & unumquodq; in id, vnde confectũ, resolvitur? Omninò. Si igitur elementa conseruantur, & vnà corporis nostri causa conseruatur. Et quum supremus opifex vocaverit, cuncta vndecunq; colligentur.* Subiungit miracula naturæ, quæ fidem faciant

CAP. VII.

ciant potentiæ diuinæ: nempe ortum hominis, cui originem det μικρά πις καὶ ἀνείδεος ὑγρόθης; ingentes arbores ex pusillo semine; apum examina è putrefacto tauri cadauere enata; Phœnicem auem. Τὴν ἀπιστίαν προαπελὼν ὁ δημιουργὸς, τοσαῦτα θαύματα προσπλήσιαν δίδωσιν, ὡς ἂν μηδ' ἐκεῖνο ὕστερον ἄπιστον ὀφθείη. *Incredibilitatem Conditor iam ante sustulit, dum tot tantasq; affinia dat miracula, vt illud deinceps incredibile videri nequeat.* Post aliquam multa, inter quæ nonnulla Platonis scholam redolentia, ethnicos vrget suis ipsorum historijs siue fabulis, vt Glauci & Hyppoliti pluriumq; aliorum resuscitatorum ex Eudoxo; Aristei item Proconnesij ex Pindaro & Herodoto. *Hæc vos*, ait, *omnia, nullâ rerum habitâ ratione, perinde sequimini, vt fruticem pecudes, vobisq; inuicem instar Corybantum insanientium applauditis. Nec contrà quisquam umquam scripsit. Cæterùm si Conditor immortali anima corpus etiam immortale se facturum polliceatur; aduersus eum vt atrox & subitum bellum moueatur, alij alios incitatis. Atqui Plato fertur Harmonium ex inferis vnà cum corpore reduxisse. Zoroastes autem vaticinatur fore tempus, quo sit omnium mortuorum resurrectio futura. Sciuit etiam Theopompus quod dico, idq; ipsum alios quoq; docet. Sed illis priscorum sapientum nemo quicquam contradixit. Soli recentiores adeo sunt audaculi, vt verbo diuino repugnandum existiment.* Subjungit tandem, nuper eâq; ætate verè patrata miracula per homines Deo caros & insigniter pios, quorum vnius ad preces puero defuncto vita, ad alterius jam morituri prædictionem adolescenti cæco oculorum vsus fuerit restitutus. Concludit exemplo nuperrimo. τό δὲ χθὲς καὶ πρώην γνόμφον inquit, καὶ αὐτὸς οἶμαι πεθέασαι, *magnam* videlicet *Lybiam durâ premi tyrannide. Tyrannus criminis loco ducit suorum subditorum pietatem, iubetq; illud præclarum dogma sacerdotes abnegare: ijs*

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0088
Mecklenburg Vorpommern

re: ijs qui non obtemperant, proh scelus, θεοφιλῆ γλῶτταν ἐκτέμνῃς, caram Deo linguam exscindit, Terei illius, de quo scriptum est in fabulis, exemplū imitatus, qui quum vim virgini fecisset, & accusationē sceleris declinare studeret, linguam exsecuit. At virgo peplo facinus intexuit, & exponit arte, quum natura, vt eloqueretur, nō daret. Illi verò, de quibus sermo est nobis, neq; peplo neq; arte opus habent; sed conditorem naturæ implorant, qui recentiorem eis naturam die pòst tertio largitur; non data quidem alterâ linguâ, sed sine linguâ articulatiùs, quàm vmquam antea, eloquendi facultate. Ego verò putabam fieri non posse, vt tibicen carens tibijs artis suæ specimen vllum daret, aut citharœdus citharâ destitutus musicam exerceret. At nouum hoc spectaculum cogit me sententiæ renunciare: nihilq; eorum, quæ videntur, fixum existimare, siquidem id Deus velit immutare. Ipse ego hos viros vidi, & loquentes audivi, & vocem adeò articulatam admiratus instrumentum vocis inquirebam. Et auribus non fidens iudicium oculis concessi, καὶ τὸ στόμα ἀμφοῖν ὅλων ἐκ ῥιζῶν ἀναστατωθὲν ἐθεώρουν τὴν γλῶτταν, καὶ ἐκπλαγεὶς ἐθαύμαζον, ὄχ ὅπως τὸν λόγον σωήρμοσαν, ἀλλ' ὅπως ἐσώθησαν. Ore aperto linguam radicitùs euulsam vidi, & stupefactus mirabar, non sanè quo pacto vocem conformarent; sed quomodo seruati essent. CAP. VII.

XIX. Tyrannus, quem memorat, Hunericus est, Genserici filius, Vandalorum in Africâ rex, qui Arianus quum esset, orthodoxos immani crudelitate persequutus est, quam latè enarrat Victor Vticensis, quatuor in hanc rem editis libris, eorumq; tertio miraculum ab AEneâ proditum in hunc modum exponit: *Ad Tipasensem Mauritaniæ maioris (Cæsariensis alias) ciuitatem* Hunericus *Comitem quemdam cum iracundiâ dirigens præcepit, vt in medio foro, congregatâ illuc omni prouinciâ, linguas* orthodoxis *& manus dexteras radicitùs abscinderent. At Spiritu sancto*

CAP. VII. *Præstante ita loquuti sunt & loquuntur, quomodo anteà loquebantur. Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, & ibi reperiet vnum de illis, subdiaconum Reparatum, sermones politos sine ullâ offensione loquentem. Ob quam causam venerabilis nimis in palatio Zenonis imperatoris habetur, & præcipuè regina mirâ eum reuerentiâ veneratur.* Duobus istis tertium addere possumus, oculatum itidem, vt superiores, testem, fideq; dignissimum, Marcellinum Comitem, qui & hoc quod ex Aenea & Victore modò protulimus, confirmat, & aliud haut paullò etiam mirabilius, adiungit. Verba eius in Chronico, ad annum, cuius Coss. Theodoricus Gothorum rex & Venantius, hoc est, æræ Christianæ CCCCLXXXIV, huiusmodi sunt: *Rex Hunericus, vnius catholici adolescentis, vitam à natiuitate suâ sine sermone ducentis linguam præcepit abscindi, idemq; mutus, quod sine humano auditu Christo credens fide didicerat, mox præcisâ sibi linguâ loquutus est, gloriamq; Deo in primo vocis suæ exordio dedit. Denique* inquit, *ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos præcisis linguis manibusq; truncatis apud Byzantium integrâ voce conspexi loquentes.* Eodem respexit Iustinianus Imperator, edicto de Officio præfecti prætorio Africæ, memorans & exaggerans crudelitatem & Impietatem Vandalorum, hisce verbis: *Vidimus venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguis pœnas suas miserabiliter loquebantur.* Obscura sunt, quæ apud Procopium ex versione Raphaëlis Volaterrani leguntur: *Fuit Honorichus in Christianos sæuissimus omnium suorum, eos in Arianam sectam deducere omnibus contumelijs, aut igne, aut alijs supplicijs cogens, multis etiam linguas incidendo: suntq; vsq; meo tempore Byzantij, qui impeditâ sunt voce. Non autem omnes hoc pœnæ genus passi: sed si duo conscij fuissent amicarum cum illo concubitus, loqui amplius non permitte-*

l. 1. Cod. de off. P. P. Afr.

lib. 1. debello Vand.

mittebantur Obscura, vt dixi, verba: sive quòd sensum auctoris interpres non sit adsequutus, sive quòd ipsa græca, quorum inspiciendorum mihi hodie non est copia, interpolata & deprauata. Videtur autem Procopius de duobus narrare, quod de vno commemorat Gregorius Magnus. Quidni enim tot oculatis testibus vnum iungamus, qui rem acceperit fando, ab ijs tamen, qui oculis vsurparunt ipsi? Gregorius itaq; quum dixisset, Vandalorum regem, orthodoxorum *linguas abscindi radicitus præcepisse*, subjungit: *Res mira & multis nota senioribus: quia ita pro defensione veritatis etiam sine linguâ loquebantur, sicut priùs loqui per linguam consueuerant.* Posteà: *Hi itaq; eo tempore profugi ad Constantinopolitanam vrbem venerunt. Eo quoque tempore, quo pro explendis responsis ecclesiæ ad principem ipse transmissus sum, seniorem quendam episcopum reperi, qui se adhuc eorum ora sine linguis loquentia vidisse testabatur, ita vt apertis oribus clamarent:* Ecce videte, quia linguas non habemus, & loquimur. *Videbatur enim à respicientibus, vt ferebat, quia abscisis radicitùs linguis, quasi quoddam barathrum patebat in gutture: & tamen ore vacuo plena ad integrum verba formabantur. Quorum illic vnus in luxuriam lapsus mox priuatus est dono miraculi, recto videlicet omnipotentis Dei judicio: vt qui carnis continentiam seruare neglexerat, sine linguâ carneâ non haberet verba veritatis:* Res tot tantisq; testibus, & oculatis quidem, omni exceptione majoribus firmata, vt in dubium vocari nequeat, illustre præbet documentum non modò potentiæ diuinæ, per quam mortuorum corpora resuscitari possint, sed diuinitatis etiam Filij Dei, Domini & Seruatoris nostri Jesu Christi. Nisi enim hæc certa, eamq; credere & profiteri Deo gratum esset, confes-

CAP. VII.

3. Dial. c. 32.

sores

CAP. VII. fores eius miraculo ita raro & ſtupendo glorioſos non reddidiſſet.

XX. Iohannes Damaſcenus floruit octauo ſeculo, ſub Leone Iſauro Iconomacho, & fere primus Theologiam redegit in formam diſciplinæ & σύστημα quoddam, opere quod ἔκδοσιν τῆς ὀρθοδόξου πίστεως inſcripſit. In eius fine de Reſurrectione agens argumentis vtitur, quæ ex antiquioribus anteà produximus, & denuò repetere nihil opus eſt. Ex quo autem gentes pleræq; Chriſto nomen dederunt, & diabolus, poſtquam in oppugnandâ per hæreticos Reſurrectionis doctrinâ ſe fruſtra eſſe animaduertiſſet, rabiem ſuam & eorum verſutiam ad alia dogmata euertenda conuertit, vti minùs Reſurrectionis fidem defendi neceſſe erat, ita quoq; parciùs & rariùs doctores id ipſum factitârunt.

XXI. Petrus Lombardus tandem, Pariſienſis epiſcopus, ſeculo duodecimo, imperante Friderico Aenobarbo, vniverſam Theologiam quatuor libris complexus eſt, & antiquorum Patrum doctorumq; ſententijs (vnde ſententiarum magiſtrum vocitant) expoſuit. Ille itaq; vltimo eorum librorum à diſtinctione XLIII & deinceps ad finem vſq;, non modò doctrinam de Reſurrectione, ſed de extremo quoq; judicio, de dotibus glorioſis beatorum & pœnis damnatorum latè proſequitur. Latiùs adhuc, qui poſtillà in eum commentati ſunt, pænè innumeri, Scholaſtici vulgò dicti; quos adeat, qui cognoſcendarum variarum quæſtionum & ſubtilium diſputationum cupidus eſt. Nos quoq; ex ijs non nulla, quæ vſui eſſe poterunt, neq; nimiam curioſitatem redolent, ſubinde adſpergemus.

CAPVT

CAPVT. IIX.

Argumenta veteribus vsurpata examinantur & considerantur typi, vt dilucidiùs patent, è lumine naturæ Resurrectionem demonstrari non posse; quamquam de possibilitate & conuenientiâ ejus secus est.

PRæ cæteris tamen, & quasi extra ordinem memorandus venit Thomas Aquinas, quem Iohannes XXII Pontifex inter Sanctos retulit, & sui magnifico elogio Angelici Doctoris cohonestarunt. Is itaq; non modò in Magistrum scribens, sed Summâ quoq; contra gentiles quarto libro à capite LXXIX. ad finem vsq;, eamdem de Resurrectione & annexis doctrinam tractat, atq; ita quidem, vt juxta inscriptionem operis argumenta & sermonem contra gentiles philosophos potissimùm dirigat. Haut igitur abs re fore videtur, eas ipsas rationes, quibus illos vrgere conatur, adscribere.

II. *Ostensum est*, inquit, *animas hominum immortales esse.* I.
Remanent itaq; post corpora, à corporibus absolutæ. Manifestum est etiã, quod anima corpori naturaliter vnitur: est enim secundum suam essentiam corporis forma. Est igitur contra naturam animæ absq; corpore esse. Nihil autem quod est contra naturam potest esse perpetuum. Non igitur perpetuò erit anima absq; corpore. Quum igitur perpetuò maneat, oportet eam iterato corpori conjungi, quod est resurgere. Immortalitas igitur animarum exigere videtur resurrectionem corporum futuram. Deinde ostensum est naturale hominis desiderium ad felicitatem tendere. Felicitas autem vltima est felicis perfectio. Cuicumq; igitur deest II.

CAP. IIX. *aliquid ad perfectionem, nondum habet felicitatem perfectam, quia nondum eius desiderium totaliter quietatur. Omne enim imperfectum perfectionem consequi naturaliter cupit. Anima autem à corpore separata est aliquo modo imperfecta, sicut omnis pars extra suum totum existens : anima enim naturaliter est*

III. *pars humanæ naturæ. Non igitur potest homo vltimam suam felicitatem consequi, nisi anima iterato corpori cõjungatur. Tertiò ex diuinâ prouidentiâ peccantibus pœna debetur & benè agentibus præmium. In hac autem vitâ homines ex animâ & corpore compositi peccant. Debetur igitur homini & secundum animum & secundum corpus præmium vel pœna.*

III. Priores duæ rationes ponunt in animâ separatâ desiderium naturale ad vnionem cum corpore, citra quam scilicet ipsa in statu sit & violento & imperfecto; quale Gregorium quoq; Nyssenum ponere suprà dicebamus. Id autem minimè admittet, qui dixit: *corpus hoc animi pondus ac pœna est; ----- quod equidem non aliter adspicio, quàm vinculum libertati meæ circumdatum.* Et Plato: *Si quando sumus purè aliquid intellecturi, recedere á corpore oportet, atq; ipso animo res ipsas considerare. Atq; tunc, vt apparet, compotes euademus ejus quod affectamus, cuius q; amatores profitemur nos esse, scilicet sapientiæ, quum videlicet mortui fuerimus: dum autem viuemus, nequaquam.* Quin & doctoribus ecclesiæ Ambrosius: *Quid commodi consequi potest anima in istiusmodi corporis inclusa compaginibus, & quibus dã membrorũ angustijs coarctata? Si caro nostra carcerem fugit, si detestatur omne, quicquid euagandi facultatem negat, quæ vtiq; paruis vltra se audiendi videndiq; excurrere videtur sensibus, quantò magis anima nostra corpoream istud euadere gestit ergastulum?* Respondebunt itaq; gentiles, desiderium ad vnionem, si quod animæ insit, vnione eâ, quam semel obtineat, satis expleri.

cap. 7. num. 12. Seneca ep. 65.

Phædone.

De fide resurr. Post init.

Neq;

Neq; animam à corpore perfectionem quamdam accipere, sed corpori potius communicare. Esse verò eius naturæ, vt citra vnionem illam & per se subsistere possit. Vbi itaq; juxta ordinarium caussarum naturalium cursum corpus labefactatum fuerit & idoneum organum esse desinat, ipsam separari, & separatam non minùs benè, si non meliùs & promtiùs quàm pridem, proprias suas, intelligendi videlicet, functiones obire. Quin ad summum rerum gradum propiùs iam accessisse, atq; adeo Intelligentijs & Deo similiorem modò esse. Separatam igitur in statu esse neq; violento, neq; imperfecto; & proinde nullo iterandæ vnionis desiderio teneri, quum id quoq; accedat, quòd cognoscat, non esse in totâ agentium naturalium serie, cujus virtute eiusmodi noua vnio possit effici: desiderium enim, quod ducem rationem & rectam cognitionem sequatur, non ferri ad ea, quæ fieri nequeant. Ad eum aut similem modum gentiles priorum duorum argumentorum vim facilè eliserint. CAP. IIX.

IV. Tertium autem non paullò validius est, & vt equidem sentio, in hoc genere validissimum. Passim igitur eo vtuntur prisci doctores, & vehementer vrgent, vt illa, quæ ex ipsis adduximus, manifestum reddunt. *Quod congruet judicari*, ait Tertullianus, *hoc competet etiam resuscitari. Dicimus plenum primo perfectum q̃ credendum judicium Dei, vt vltimum iam, at q̃ exinde perpetuum; vt sic quo q̃ justum, dum non in aliquo minus; vt sic quo q̃ Deo dignum, dum pro tantâ ejus patientiâ plenum at q̃ perfectum. Ita q̃ plenitudinẽ perfectionem q̃ judicij non nisi de totius hominis representatione constare. Totum porrò hominem ex vtriusq; substantiæ concretione parêre*, siue apparere: *idcirco q̃ in vtrâ q̃ exhibendum, quem totum oporteat judicari. Qui nisi totus, vti q̃ non vixerit. Qua-* de Resurr. c. 14.

Cap. IIX. *lis ergò vixerit, talem judicari; quia de eo, quod vixerit, habeat judicari.* Chrysostomus dicit, Deum, *nisi voluisset nobis resurrectionis januas aperire,* non permissurum fuisse, vt Abel occideretur. *Inde est,* inquit, *quod permittit, vt is, qui hîc justè vixit, laborum suorum mercedem hîc non accipiat, sed hinc abiens clamet per ea, quæ hîc passus est, & ad omnes dicat: Post hanc vitã est retributio aliqua, & merces, & remuneratio.*

serm 1. de Resurr.

V, Non possum facere, quin ex scriptore superioris seculi prudentissimo & accuratissimo Francisco Guiccardino subijciam de Pontifice quodam Romano, qui dum vixit, Christi scilicet vicem in terris functus & res fidei atq; religionis infallibili suo judicio moderatus fuit. Est autem Alexander sextus, in quo homine, vt ille scribit, *non sinceritas, non pudor, non veritas, non fides, non religio.* Quum hausto pharmaco, quod alteri filius ejus miscuerat, interijsset, *nullius oculi,* inquit, *expleri poterant spectando exstinctum illum draconem, qui immoderatâ ambitione & pestiferâ perfidâ, omnibusq; horrendæ crudelitatis, monstrosæ libidinis & inauditæ auaritiæ exemplis, sacris & profanis rebus absq; discrimine venditis, vniuersum orbem venenis infecerat. Qui nihilominus ab ineunte ætate ad extremum vsq; vitæ suæ diem, singulari ac pænè perpetuâ felicitate, maxima semper appetens & plura, quàm optaret, perpetuò adipiscens, vsus fuerat. Quod exemplum, ad illorum, qui humanorum oculorum imbecillitate diuinorum judiciorum arcana se videre arbitrantes, quicquid mortalibus fausti vel aduersi accidit, ex benè vel malè factis manare ajunt, arrogantiam retundendam potentissimum est. Quasi non quotidie multos bonos injustè vexari, & contra plerosq; improbos ad non meritos honores euehi cerneremus Quasi secus interpretando de Dei justitiâ potentiâúe detraheretur: cujus amplitudo breuibus ac præsentibus terminis minimè inclusa, alio tempore & loco æter-*

hist. lib. 1.

nis

nis præmijs atq; ſupplicijs juſtos ab iniuſtis diſcernit. Hactenus CAP. HX. hiſtorici verba.

VI. Eſt ſanè ſenſus quidam futuræ retributionis animis mortalium altè infixus, & paullò minùs, quàm notitia ipſius Dei. Ab hujus enim juſtitiâ cognitâ ilicò iſta ſperatur. Facilè itaq; largior, argumentum quod inde petitur, inter ejus generis argumenta potentiſſimum eſſe, præſertim quum tanti fecerit Apoſtolus, vt ipſe eo vti voluerit. *Si in hac ſolùm vitâ*, inquit, *ſperamus in Chriſtum, miſerrimi omnium hominum ſumus.* Retributio profectò certiſſima. Et parum conſideratè Scotus, dum pro ſuâ in Thomam æmulatione argumenta ejus examinans in hæc verba prorumpit: *Non apparet per rationem naturalem, quod eſt vnus rector hominum ſecundum leges juſtitiæ retributiuæ & punitiuæ.* At ſi eſt aliquis vnus rector, & ſummæ quidem perfectionis, vt certè eſt, non poterit ei iſta deeſſe juſtitia. Hinc humani generis communis ſenſus conſenſusq; : *Eſt profectò Deus, qui quæ nos gerimus, audit q; & videt.* Item: *Adſpiciunt oculis ſuperi mortalia juſtis.* Pergat autem Scotus: *Et eſto, quòd ſic; diceretur, quòd vnicuiq; in bono actu ſuo ſit retributio ſufficiens.* Ergo etiam vnicuiq; improbo in malo ſuo actu erit retributio ſufficiens. Nulla igitur alia improborum pœna, niſi vt in ſuis malefactis pergant & ex ijs delectationem capiant. At pœna non eſt, quam nullum damni vel doloris experimentũ ſequitur.

1. Cor. 15. 19.

4. diſt. 43. qu. 2. § dico ergo.

Plaut. Capt. Ouid. 13. Met.

VII. Porrò vt actiones ſuppoſitorum ſunt, vti loquuntur, ſiue perſonarum, ita præmia & pœnæ quoq; ijsdem deberi videntur. Certum autem eſt ſolam animam hominem non eſſe; animam Adami non eſſe Adamum. Si tamen verum fateri volumus, ſuadet hæc ratio, non autem cogit vel euincit. Num quum anima ſit prin-

CAP. IIX.

ceps actionis causſa, corpus ſaltim inſtrumentum; haut demonſtrari poteſt ſibi non conſtare juſtitiam, ſi princeps cauſſa præmio vel pænâ adficiatur, relicto interim inſtrumento, præſertim ſi res eò deuenerit, vt id in rerum naturâ inueniri jam nequeat. Satis enim tum erit puniri, quod ſuper eſt, & puniri poteſt. Ita non accuſantur injuſtitiæ judicia humana, quæ quum immediatè in animam nihil poſſint, corpus cruciant. Ad ipſum autem hominẽ omnino pertinent, quæ animæ ejus quamuis ſeparatæ, obueniunt, multò certè magis, quàm ſi corpori ſeparato quicquam contingat. Et tamen inter nos honorificæ exſequiæ vel contrà ignominia, quâ corpus vitâ caſſum afficitur, hominem ipſum, eiusq; adeo gloriam & dedecus quàm maximè attinere cenſentur. Argumentum itaq; quod à juſtitiâ divinâ & neceſſitate retributionis petitur, quamuis id genus cæteris præſtet, euincendæ tamen Reſurrectioni carnis par non eſt.

IIX. Benè itaq; Scotus in examine rationum Thomæ, quod priùs allegabamus: *Nec à priori per rationem principij intrinſeci in homine; nec à poſteriori, puta per rationem alicujus operationis vel perfectionis congruentis homini, poteſt probari neceſſariò Reſurrectio, innitendo lumini naturali. Ergo hoc tamquam omninò certum non tenetur niſi per fidem.* Et pòſt: *Ex his apparet, quanta ſint gratiæ referendæ miſericordiæ Creatoris, qui nos per fidem certiſſimos reddidit in his, quæ pertinent ad finem noſtrum & perpetuitatem ſempiternam.* Subjungit dictum Auguſtini, quod quia ad rem præſentem facit, nos quoque, & pleniùs aliquanto, adſcribemus. *Humanis*, ait ille, *argumentationibus hæc inuenire conantes, vix pauci magno præditi ingenio, abundantes ocio, doctrinisq;, ſubtiliſſimis eruditi, ad indagandam ſolius animæ immortalitatem peruenire potuerunt. - - - Fi-*

13. de Trin. c. 9.

des

des autem ista totum hominem immortalem futurum, qui vtiq; constat ex CAP. IIX.
animâ & corpore, & ob hoc verè beatum, non argumentatione humanâ, sed diuinâ auctoritate promittit.

IX. Nec aliter argumenta Thomæ, ipso Thoma minimè refragante, accepit qui in eum commentatus est Franciscus Ferrariensis. *Aduertendum*, ait, *quod non intendit Sanctus Thomas corporum resurrectionem demonstratiuâ ratione probari posse: hoc enim est nobis impossibile, quum sit de pertinentibus ad fidem simpliciter: sed intendit ostendere, quod aliquâ probabili ratione suaderi potest. Sic enim ostenditur, quod positio fidei irrationabilis non est.* Nempe etiamsi separata anima iterum corpori mortali & ærumnoso vniri non cupiat; non tamen nolit vniri immortali & glorioso, si Deo visum fuerit tale largiri. Ita enim in actum prodibit & perfectionem maximam consequetur, non modò quatenus intelligens, sed etiam quatenus informans. Et licet præmio vel pœnâ adfici homo possit in parte sui alterutrâ, vbi vtraq; haberi vel ad vtramq; actio pertingere nequit: plenior tamen & perfectior erit retributio, si Deo vt potestas, ita quoq; voluntas sit destructa corpora in integrum restituendi.

X. Quum autem corporũ ista cùm resuscitatio tum glorificatio pendeat à liberâ Dei voluntate, non potest ea alicunde sciri aut demonstrari, nisi ex reuelatione, quæ ab ipso liberè itidem & gratioſè facta pandat nobis tantum, beatitudinem & vltimum finem nostrum concernens mysterium. Et quoniam, quod ex diuinâ reuelatione creditur, quamuis demonstrationem certitudine superat, optimè scripsit Albertus Magnus: *Certius secundum catholicam fidem nobis est, resurrectionem ejusdem carnis numero, in quâ nunc viuimus, esse futuram, & vnumquemq; in eâdem recipere* 4. dist. 43.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0099
Mecklenburg Vorpommern

Cap. IIX. *pere bona & mala, secundum quod meruit, quàm quod sol orietur cras. Quod enim sol orietur, quandoq; fallet, scilicet in die vltimâ, quando sl abit. Istud autem à diuinâ veritate est acceptum, qua non fallit, nec fefellit, nec fallere nec falli potest.*

XI. Porrò vtuntur Patres contra ethnicos interdum argumento, quod *ad hominem* vocare consueuimus, ex ipsorum videlicet historijs siue fabulis potiùs, petito. *Si credis*, ait Theophilus Antiochenus, *Herculem, quem flamma absumsit, viuere; Aesculapium fulmine tactum vitæ restitutum: quæ dementia est nolle dare fidem illis, quæ Deus loquitur?* Aeneam Gazæum eâdem ratione pugnantem & complura exempla adferentem paullo antè produximus. Præter ista Eusebius προπαιδείας vndecimo libro, & Theodoretus θεραπευτικῆς τῶν ἑλληνικῶν παθημάτων itidem vndecimo, alia duo proferunt; vnum ex Platonis decimo de Republicâ, Eris Armenij, ὅς ποτε ἐν πολέμῳ τελευτήσας, ἀναιρεθέντων δεκαταίων τῶν νεκρῶν, ἤδη διεφθαρμένων, ὑγιὴς μὲν ἀνηρέθη, κομισθεὶς δ' οἴκαδε, μέλλων θάπτεσθαι, δωδεκαταῖος ἐπὶ τῇ πυρᾷ κειμένῳ ἀνέβιω. ἀναβιοὺς δ' ἔλεγεν ἃ ἐκεῖ ἴδοι, *qui quum in prælio occubuisset, sublatis decimo die cadaueribus, cæteris quidem jam corruptis, integer repertus fuit, & domum delatus vt funeraretur, duodecimâ ab obitu die pyræ impositus reuixit, & quæ interim viderat, retulit*: alterum ex Plutarchi primo de Animâ, quod tamen opus hodie non puto supereſſe, Antylli, (Enanchum perperam vocat Latinus Eusebij interpres) per errorem exstincti & vitæ redditi, postquam in vicem ejus Nicandas coriarius obijsset.

lib. 1. ad Autolyc. cap. 7. num. 18.

7. Nat. Hist. c. 52.

XII. Plinius quoq; nonnullos recenset, qui elati reuixerint. *Auiola Consularis*, inquit, *in rogo reuixit: & quoniam subueniri non potuerat præualente flammâ, viuus crematus est. Similis caussa in L. Lamia prætorio viro traditur. Nam C. Aelium Tube-*

Tuberonem præturâ functum à rogo relatum Messala Rufus & plerique tradunt. Sed hosce Plinius, quod sanè res erat, verè mortuos fuisse non credidit. *Hæc est*, ait, *conditio mortalium, ad has & ejusmodi occasiones fortunæ gignimur, vt de homine ne morti quidem debeat credi.* Et omnino, vti jam monuimus, argumentum non est, nisi ad hominem; neq; alium premit, quàm eum, qui fabulis fidem habeat. Is enim non poterit dicere, quod dixit Lucretius. CAP. IIX. lib. 3.

—— nec quisquam expergitus exstat,
Frigida quem semel est vitai pausa sequuta:

vel quod Epicuri sententiæ ex Homero accommodat Plutarchus: Ιλι. 1.

Ανδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λεϊστὴ,
Οὔθ' ἑλετὴ, ἐπεὶ ἄρκεν ἀμείψεται ἕρκος ὁδόντων.
Humanus numquam est animus reparabilis, ex quo
Morte obitâ patulo semel eluctatus ab ore.

I. Ne quidem suauiter viui posse.

XIII. Quin positâ etiam ex fabulis hypothesi non poterit duci argumentum ab vnius, duorum vel paullò plurium resurrectione ad vniversalem omnium. Saltim possibilitas aliqua elicitur, quam si non prorsus simili, neq; tamen omnino dissimili ratione conatus est euincere Ambrosius: *Quod si veteres sapientes satis hydræ dentibus in regione Thebanâ inhorruisse armatorum segetē crediderunt, quū vtiq; alterius naturæ semina certum sit in naturam alteram verti nequiuisse, nec partum suis discordem fuisse seminibus, vt ex serpente homines nascerentur, vt caro ex dentib⁹ gigneretur; quantò magis vtiq; credendum est, quæcumq; sunt seminata, in suam naturam resurgere, nec à satione suâ segetes discrepare? Potestis ergo gentiles reformationem negare naturæ, qui mutationem potestis asserere? Potestis non credere oraculis, non euangeliis, non prophetis, qui fabulis inanibus creditis?* de Fide resurrect.

CAP. IIX. XIV. Postremò typi, quos varius & multiplices adducere priscos scriptores ex superioribus manifestum est, faciunt partim ad persuadendam resurrectionis possibilitatem, partim ad ejus rationem, quomodo futura sit aut fieri queat, faciliùs concipiendam. Petuntur autem cùm è rerum naturâ, siue cœlestium siue terrestrium; tum ex ijs, quæ arte & industriâ hominum, agentia naturalia patientibus applicante, fiunt. Inter typos, quos res naturales suppeditant, emineret phœnix,

Ouidius. 15. Metam.

——— quæ reparat, seq; ipsa reseminat ales.
Hæc vbi quinq; suæ complerit secula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæq; cacumine palmæ,
Vnguibus & duro nidum sibi construit ore.
Quò simul accasias, ac nardi lenis aristas,
Quassaq; cum fluuâ substrauit cynamama myrrhâ,
Se super imponit, finitq; in odoribus ætum.
Inde ferunt, totidem qui viuere debeat annos,
Corpore de patrio parvum phœnica renasci.

lib. 2. lib. 10. c. 2. sap. 46. Emineret, inquam, modò se res haberet, vti narratur. Ad Herodoto, qui eam primus prodidit, non fit verosimilis; neq; magis Plinio. Iulius Solinus tradit, *Q. Plautio, Sex. Papinio COSS. AEgyptum phœnicem inuolasse, capiumq; anno octingentesimo vrbis conditæ, jussu Claudij principis in comitio publicatum.* Sed *quem falsum esse nemo dubitaret*, subjicit Plinius, è quo sua descripsit Solinus. Idem Plinius, memorat phœnicem arborem quamdam, siue genus quoddam palmæ, quæ *emoriatur & renascatur ex seipsa*: & *phœnix auis*, ait, *putatur ex hujus palmæ argumento nomen accepisse.* Quum igitur phœnix auis fabula sit, inter omnes resurrectionis typos nullum hydrargyro siue argento viuo conuenientiorem & significantiorem esse statuit Cornelius

lib. 13. c. 4.

lius à Lapide, sequutus obseruationem Gabrielis Fallopij, medici Mutinensis. Diductum videlicet digitis, dispersumq; in minutissimos puluisculos pari facilitate iterum cogi & denuò in vnum corpus redigi, vt sit idem numero hydragyrum, quod fuerat priùs. Eodem simili Gregorium Nyssenum vsum fuisse pridem monuimus. Deficit tamen haud leuiter: hydrargyrum enim corpus est similare; humanum verò dissimilare & organicum. Quanto igitur hujus structura operosior, tantò quoq; reparatio difficilior: neq; restitutionis vtriusq; minor poterit esse disparitas, quam constitutionis est. CAP. IIX. in cap. 37. Iezech. cap. 7. num. 12.

XV. In ijs, quæ arte fiunt, symbola quoq; resurrectionis impressa sunt, & non nulla admodum illustria. Gregorius Nyssenus exemplo vtitur figuli, qui vas è luto fingat, & ad solem exsiccet, fortè autem confractum & iterum redactum in lutum denuò refingat restituatq;, vt sit vrceus aut dolium, quod fuerat antea, *Concedamus Deo*, ait, *quod tantum possit, quantum potest figulus*. Aeneas Gazæus statuarium inducit, qui circa confractam & disiectam statuam idem præstet, atq; ita quidem, vt ejus arte æs in aurum vertatur, redeatq; aureus Achilles, qui priùs fuerat æneus. Conjectura hinc capitur, artem transmutandi metalla, quam Chimiã hodie vocant, istis temporibus haut fuisse incognitam. Quin ex alijs verbis, quæ post interuallum aliquod subijciuntur, res est manifesta. orat. 3. de Resurr.

καὶ παρ' ἡμῖν οἱ περὶ τὰ ὕλαι σοφοὶ ἀργυρον καὶ κασσίτερον λαβόντες καὶ τὸ εἶδος ἀφανίσαντες, ὅτι τὸ σεμνότερον μετα βαλόντες τὴν ὕλαν, χρυσὸν κάλλιστον ἐποίησαν. *Etiam apud nos, qui materiæ peritiam habent, argentum & stannum capiunt, ac priore specie abolita in augustius & preciosius conuertunt, aurumq; pulcerrimum efficiunt.* Si ex alio metallo aurum fiat, ne quidem

CAP. IIX. manet idem ſpecie; tantum abeſt, vt redeat idem numero. Cæterùm res eſt nihilominus maximè admiranda, & æquè difficilis perſuaderi imperito, quàm ulla alia.

XVI. Procedit enim argumentum de poſſibilitate Reſurrectionis in his & reliquis ſimilibus omnibus à minori veriſimilitudine ad majorem, in hunc ferè modum: Si tantopere mirabilia & propemodum ſtupenda, quæq; nemo fieri poſſe crederet, niſi experimento eſſent comprobata & oculis coràm vſurparentur, per finitam & admodum limitatam naturæ vel artis facultatem effici poſſunt; quid non præſtari poterit per infinitam & illimitatam Dei omnipotentiam? Aeneas ait: τὸν οὖν ἀνθρώπων τὸν τῶν ἀνθρώπων δημιουργὸν ἀσθενέστερον καὶ ἀπειρότερον ὑποπτεύσατε; *Quid igitur eum, qui homines condidit, hominibus infirmiorem & imperitiorem ſuſpicamini?*

XVII. Idem Aeneas adiungit typum ab arte, quæ ex arenâ & nitro perſpicuum & nitidum vitrum efficiat. Fiunt quoq; vitra è cineribus, vt proprius ad Reſurrectionis exemplum adludat. Vnde Guilielmus Aruernus epiſcopus Pariſienſis Opere de Vniuerſo, eleganter & appoſitè: *Quum videant virtute naturæ* per artem tamen adiutæ *ex vili obſcuroq; cinere generari mundiſſimum ac ſplendidiſſimum vitrum, coruſcantiſſimas quoq; & vernantiſſimas gemmas,* maſſas ſcilicet aut globulos, qui gemmas imitentur, *quur deſperant ex cineribus corporum humanorum poſſe ipſa corpora reparari, præſertim quum hoc requirat bonitas, & munificentia, & iuſtitia & gloria Dei?*

XIIX. E cineribus profectò artis, cujus meminimus, chimicæ ea pars, quæ circa vegetabilia occupatur, elicit, quod Reſurrectionis typum ſuppeditet egregium, & quo, niſi fallor, vix dari aut inueniri poterit illuſtrior.

E cine-

CAP. IX.

E cineribus vrticarum paratum lixiuium si frigori exponatur, vt congeletur, in glacie illâ vrticæ hinc inde conspiciendas sese præbent cum caulibus, ramusculis & folijs, vtà pictore planta illa accuratiùs delineari nequeat. Id quidem vt imperfectius, ita quoq; vulgare, & cujus experiendi cuilibet esse poterit copia. Alterum sicut non paullò exactius Resurrectionis est symbolum, ita quoq; longè rarius, ignotius & ab experimento capiendo remotius. Testatur autem Iosephus Quercetanus cognitum sibi Polonum quemdã, medicum Cracouiensem, qui è plantis & herbis nonnullis peculiari arte & industriâ subtilissimos cineres parauerat, & singulis vitreis vasculis accuratissimè occlusis indiderat; vni videlicet rosæ, alteri papaueris, tertio alius plantæ vel herbæ cineres. Vbi ignem modici caloris, lucernam puta, admouisset, cepisse è cineribus exsurgere speciem plantæ, cuius isti erant cineres, nec nudis saltim lineamentis, quod in antè dictis vrticis obtinet, adumbratam, sed admodum perfectam, nempe partibus suis omnibus absolutam & præterea à viuis coloribus, quales aliàs secundum naturam in caule, folijs, floribus conspiciantur, exornatam; quæ tamen mox amoto calore in suos cineres relapsa fuerit. Ista in triginta circiter plantis se vidisse scribit auctor, quem memorauimus. Ipsum, si lubet, adi, describentem cùm admirabile naturæ & artis hoc arcanum, eximiumq; Resurrectionis symbolum, tum prius illud, *Defensione Hermeticæ medicinæ aduersus quemdam anonymum cap. XXIII.*

XIX. Licebit sanè colligere & dicere; Si tantum potest & præstat ars humana, quid non poterit & præstabit omnipotentia diuina? Est enim in confesso, effici posse

CAP. IIX.

per omnipotentiam diuinam, quicquid fieri vllo modo potest, siue quicquid de se & ex suâ ratione non est impossibile. Aliter dicimus, posse Deum, quicquid contradictionem non implicat. Si verò contradictionem implicat, hominem mortuum & in cineres resolutum in vitam reuocari; implicatur contradictio ratione caussarum vel internarum, formæ videlicet & materiæ, quæ hominem redintegrant, vel externarum efficientes & finalis, nempe quia Deum mortuos resuscitare cum veritate, iustitiâ, bonitate vel gloriâ Dei pugnet, aut alioquin frustra fiat. Certum enim est, non magis à Deo posse fieri, quod maiestatem & bonitatem ipsius dedeceat, vel à veritate & justitiâ aberret, quàm quod propter repugnantiam caussarum intrinsecè constituentium effici nequit.

XX. Iam verò anima rationalis, quæ forma est hominē vltimò actuans & perficiens, immortalis est & incorrupta perennat. Corpus quidem destructum est, in nihilum tamen neutiquam redactum, sed resolutum in principia & elementa, è quibus fuerat compositum. Supereſt igitur eadem numero materia, quam vndecumq; & quibuscumq; è latebris reuocare Deo opt.max. facilimum. Nam *fieri nequit*, (verba sunt Athenagoræ) *vt Deus naturam corporum resuscitandorum, siue quà partem, siue quà particulam, ignoret: neq; latere potest, quò singula ex tabidis membris abierint, & quæ elementorum partes putrefacta receperint, & in cognatam naturam admiserint, etiamsi omnino apud homines, quod vniuersitati elementorum rursus coaluit, insecernibile videatur & indeprehensibile.* Et rectè Tertullianus sub finem libri, quem de hoc argumento scripsit: *Non sola anima seponitur: habet & caro suos sinus interim, in aquis, in ignibus*

cap. vlt.

CAP. IX.

bus, in alitibus, in beſtijs, quum in hæc diſſolvi videtur, velut in vaſa transfunditur. Si etiam ipſa vaſa defecerint, quum de illis quoq; effluxerit, in ſuam matricem terram quaſi per ambages reſorbetur, vt rurſus ex illâ repreſentetur. Gregorius Nyſſenus: orat. 3. de reſurr. *Non omninò intereunt, & abolentur corpora. ſed diſſoluuntur in eas res, ex quibus compoſita ſunt: & ſunt in aquâ, in aëre, in terrâ & in igne.* Et Auguſtinus de Ciuitate Dei XXII, 20. *Abſit* inquit, *vt ad reſuſcitanda corpora vitæq; reddenda, non poſſit omnipotentia creatoris omnia revocare, quæ vel beſtia vel ignis abſumſit, vel quicquid in pulverem cineremq; collapſum, vel in humorem ſolutum, vel in auras eſt exhalatum. Abſit vt ſinus vllus ſecretum q; naturæ ita recipiat aliquid ſubtractum ſenſibus noſtris, vt omnium creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat poteſtatem.* Item in pſalmum LXII. *Si incendatur aliquis mortuos, aut ſicanos dilanient eum, putatis quia inde non erit reſurrecturus? Omnia quæ diſcerpuntur, & in fauillas quasdam putreſcunt, integra Deo ſunt. In illa enim elementa mundi eunt, vnde primò venerunt, quando facti ſumus. Non illa videmus, ſed tamen Deus vnde ſcit producet illa, quia & antequam eſſemus, vnde ſciebat, nos produxit.*

XXI. Atq; huc facit ſimilitudo de pugillo, quam ex Cyrillo Ieroſolymitano ſuperiore capite adduximus. num. 11. Cui geminam alicubi adfert & vrget Gregorius Nyſſenus: ὅπου δ' ἄν τις καθ' ἑαυτὸν ὑποθήσει, ait, ἀναγκαίως τῷ λόγῳ τὸν ἄνθρωπον, ἐντὸς τοῦ κόσμου πάντως ἔσται. τοῦτο δὲ τῇ χειρὶ τοῦ θεοῦ ἀπερατείας ἐστὶ φανερὸν καὶ θεοπνεύστου διδασκαλίας φωνή. εἰ δὲν σὺ πῦ ἐν τῇ σῇ παλάμῃ τὸν ἀνθρωπον, ἀρ' οἶδας τῆς σῆς διανοίας ἀπονωτέραν εἶναι τοῦ τοῦ θεοῦ γνώσιν; ὡς μὴ ἂν ἐξαρπάσειν τῶν ἐμπεριεχομένων ὑπὸ τῆς θείας ἀπειρίας τοῦ ἀνθρώπου; Hæc Ioannes Leunenklaijus hiſce verbis latinè reddidit: *Quocumq; loco eſſe hominis corpus ſtatuamus id quidē conſtabit opinor, hoc in mundo illut haut dubiè contineri. Mundum* de opif. hominis, c. 26.

CAP. IIX.

dum porrò Dei positum esse in manu, litteræ diuinitùs traditæ docent. Quòd si tu ea non ignoras, quæ manu tuâ continentur: quur Deum minùs esse perspicacem, quàm tu sis, existimas: quasi non accuratè omnia, quæ palmâ suâ complectitur, nota perspectaq; habeat?

XXII. Superest igitur, vt diximus, anima rationalis; supersit vniuersa materia corporis, Deo, vbi vbi fuerit, cognitissima. Si itaq; voluntate & potentiâ ejus è receptaculis naturæ & matricibus elementorum reuocata ad pristinam compositionem redeat, & concinnetur vt priùs fuerat, eiq; vniatur anima quæ antè; quum sit eadem numero forma juncta eidem numero materiæ, erit quoq; eadem substantia siue idem numero homo, qui pridem erat. Fit quidem denuò siue secundò: sed quoniam efficientis actio, quamuis ad effectum terminetur, extrinseca tamen est ipsi essentiæ effectus; forma verò & materia, quæ essentiam intrinsecè constituunt, eædem sunt: ideo denuò siue secundò fieri non efficit, vt sit alius siue secundus homo.

XXIII. Exemplo res erit clarior. Sit statua ænea vel marmorea, quæ diffringatur & in partes minutas dissijciatur. Accedat artifex, qui fractas & dissectas particulas colligat, singulasq; loco, ordine, situ, quo pridem fuerant, disponat. Etiamsi in tenuissimos puluisculos comminuta fuerit, si tantæ peritiæ & potentiæ sit artifex, sicut hîc est, vt pulueres illos omnes recuperare & singulos pristino loco reponere norit, neq; minimùm aberret, quin vniuersi eo iterum sint ordine, eo situ, eâq; singuli ad singulos habitudine, quâ priùs fuerant; quis negabit eamdem numero esse statuam quæ erat priùs, etiam

etiamsi disiecta & comminuta recenti & admirabili artificio denuò sit confecta? CAP. IIX.

XXIV. Neq; restitutioni huic obstare potest, aut pristinam materiam subtrahere, quòd aliquorũ hominum corpora à bestijs deuorata fuerint, & membris earum loco alimenti coaluerint. Quæ τῶν πολλῶν objectio, ait Athenagoras, visa est etiam eruditos perturbare. Addunt, inquit, aliud ἀπορώτερον de animalibus pastu humanorum artuum nutritis, atq; quum ipsa vesca sint, in humanos iterum ventres ingestis, & cum carne manducantium vnitis. Quin tragicè accumulant κυνοφαγίας & ἀνθρωποφαγίας Græcorum ac barbarorum. Ex istis colligunt ἀδύνατον τὴν ἀνάστασιν, ὡς ἂ δυναμένων τῶν αὐτῶν μερῶν ἑτέρους συναναστῆναι σώμασιν, *impossibilem esse resurrectionem, quum fieri nequeat, vt eadem membra cum alijs atq; alijs corporibus vnà consurgant. Nam aut priora corpora nõ posse constare, quum artus, quibus compleri oporteret, aliò transierint; aut si prioribus posseßoribus isti reddantur, posteriorum imperfecta fore.* Sed hinc ne quidẽ se ipse satis expedire videtur Athenagoras. Multa dicit. vis responsi in eo est, quòd non omne alimentum cedat in augmentum corporis, aut corpori vniatur, sed maximam partem excernatur; quòd etiamsi ex alimento aliquid accesserit, id tamen non statim ad ipsum esse hominis constituendum pertineat. Præterea negat & quidẽ valdè negat fieri posse, vt homo humanâ carne nutriatur, siue corpus vtut comestum cum corpore eiusdem speciei coalescat, quòd sit cibus παρὰ φύσιν. *Fieri non potest*, ait, *vt vmquam humana corpora sui generis corporibus confundantur, quibus præter naturam in cibum obtruduntur: etiamsi in horum ventres ex aliquâ perquam acerbâ calamitate ingerantur.*

CAP. IIX. XXV. Multò autem rectiùs & feliciùs difficultatem expedit & rem exponit Augustinus de ciuitate Dei XXII, 20; cujus ex isto loco verba huc transscribi digna sunt. *Si quispiam confectus fame atq; compulsus vescatur cadaueribus hominum, quod malum aliquoties accidisse & vetus testatur historia, & nostrorum temporum infelicia experimenta docuerunt, num quis veridicâ ratione contendet totum digestum fuisse per imos meatus, nihilq; inde in eius carnem mutatum atq; conuersum, quum ipsa macies, quæ fuit & non est, satis indicet, quæ illis escis detrimenta suppleta sint?* Ista videlicet euasio parum benè procedit. *Iam itaq;* inquit, *aliqua paullò antè præmisi,* (& nos etiam ex ipso) *quæ ad istum quoq; nodum soluendum valere debebunt. Quicquid enim carnium exhausit fames, vtiq; in auras est exhalatum: vnde diximus omnipotentem Deum posse reuocare, quod fugit. Reddetur ergo caro illa homini, in quo esse caro humana primitùs cepit: ab illo quippe altero tamquam mutuò sumta deputanda est, quæ sicut ea alicnum ei redhibenda est, vnde sumta est: sua verò illi, quem fames exinanierat, ab eo, qui potest etiam exhalata reuocare, reddetur. Quamuis etsi omnibus perisset modis, nec vlla eius materies in vllis naturæ latebris remansisset, vnde vellet, eam repararet omnipotens.* Hucusq; Augustinus.

XXVI. Verum omnino est, quod docent nos rerum naturalium consulti, filijq; medicorum, corporis humani & carneæ præsertim partis substantiam ab insito calore alijsq; causis perpetuò dissipari, & exhalatam quasi diffluere, neq; posse durare, nisi quotidianis alimentis iactura ista sarciatur. Per morbos sæpe & præternaturalē ardentium febrium calorem res quoq; sensui manifesta exponitur, dum caro (pars corporis propriè ita dicta) ferè tota extabescit, & paullò post, quando cum valetudine in gratiā reditur, brevi tempore tantumdem recuperatur,

ratur, eiq; quòd resolutum fuit, succedit. Neq; propterea tamen aliud corpus est, quàm fuit pridem, ante semestre puta vel circiter; etiamsi carnis bona pars inediâ vel calore dissipata abscesserit, & eius locum suffecta ex alimentis occupauerit. Neq; igitur in resurrectione aliud erit corpus, etiamsi quicquid carnis aliquando adfuit, iam non adsit. Quod enim vnitatem & idemtitatem corporis hîc viuentis impedire nequit, id neq; vnitatem & idemtitatem resurgentis impedire poterit. CAP. IIX.

XXVII. Imò nec adesse potest aut debet, quicquid aliquando & per totum humanæ vitæ tempus adfuit. Id enim omne collectum immanem & enormem carnis molem efficeret, ob caussam videlicet, quam modò exposuimus, quòd perpetuò aliquid in auras abscedat, & aliquid in vicem ex alimentis accedat. Non itaq; vel oportet vel decet omne, quod quouis vitæ tempore ad corporis integritatem pertinuit, in resurrectione restitui, sed sufficit reddi, quod aliquo vitæ tempore corpus constituebat, siue potius quod primò & principaliter constituebat; quale sine dubio est, quicquid à parentibus in ipso ortu trahitur. Huic fortè proximum, quod quando ad adultam ætatem & ἀκμὴν peruentum fuit, aderat, corpusq; integrabat. Neq; vero absimile, eius quoq; rationem habendam, quod in excessu è viuis adesse deprehenditur.

XXIIX. Quicquid autem sit, cessat difficultas de hominibus humanâ carne nutritis. Vt enim rectè Augustinus, *reddetur caro comesta homini, in quo caro humana esse primitùs cepit.* Et alibi: *Non perit Deo terrena materies, de quâ mortalium creatur caro: sed in quemlibet puluerem cineremúe soluatur, in quoslibet halitus auras q; diffugiat, in quamcumq; alio-* Enchirid. cap. 88.

Cap. IIX. *aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorum cumq; animaliũ etiam hominum cibum cedat, carnemq; mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitùs, (vt homo fieret, cresceret, viueret) animauit.* Nempe si eadem materia in duobus aut pluribus fuerit corporibus, ei reddetur, ad quod magis propriè pertinuit. Ad id verò magis pertinuit, cui adhibita fuit non modò alendo, sed constituendo, siue ab ipso ortu, vt corpus esset, siue deinceps vt iustâ quantitate esset. Quod si ad duo pluraue æquè propriè pertinuerit, ei reddetur, cum quo primùm coniuncta & vitæ particeps facta est. nam animam, quâ primitùs fuerit animata, peculiari & magis propriâ habitudine videtur respicere, quàm vllam aliam.

4. dist. 44. qu. 1. § ad argum. XXIX. Quamquam haut improbabiliter credit Scotus, *non fuisse nec fore vsq; ad finem mundi aliquid æquè de veritate humanæ naturæ in duobus superstitis. Et ideo*, ait, *resurget præcisè in vno, in quo magis fuit de veritate: magis inquam, vel quia in ipso purius, vel quia magis de intentione naturæ.* Purius autem juxtâ ipsum, quod priùs productum, quum virtus naturalis sensim debilitata impuriorem deinceps carnem producat; Magis intentum, quod constituendo corpori à parentibus acceptum, & quod augmentando ad justam vsq; quantitatem posteà accessit. Eius, quod saltim ad nutritionem fecit, aliam docet esse rationem.

¶ De secundo. Nam *nutritio*, ait, *non est per se necessaria, nisi ad rationem deperditi: augmentatio autem est per se necessaria, vt genitum attingat debitam quantitatem naturæ suæ. In quacumq; ergò nutritione vsq; ad terminum augmentationis, aliquid præcisè convertitur propter nutritionẽ, vt restauretur, quod fluxit; aliquid propter augmentationem, vt acquiratur quantitas debita, etiamsi*

amsi nihil fluxisset. Prius non est de principali intentione naturæ, sed *occasionatum propter vitandam imperfectionem: posterius autem propter perfectionem debitæ quantitatis acquirendam principaliter est intentum.* CAP. IIX.

XXX. De materiâ corporum suscitandorum superstite & reparabili satis dictum esto. Reliquæ sunt extrinsecæ caussæ, Efficiens & Finis. Efficiens est Dei omnipotentia, ad cujus mentionem cogitare oportet, quod scripsit Augustinus, *in talibus rebus totam rationem facti esse potentiam facientis.* Finis est glorioſa illustratio bonitatis justitiæq; diuinæ, & pro benè ac malè factis plena & perfecta retributio. Hîc autem tantum abest absonum vel inconueniens aliquid deprehendi, vt contrà potius, quicquid huius est, id omne bonitati justitiæq; Dei consentaneum & Deo dignissimum fateri oporteat. Quid enim bonitati conuenientius, quàm hominem, alterâ sui parte aliàs immortalem, totum immortalitate donare? Quid justitiâ dignius, quàm hominem, vti totus aut rectè egit, aut malefacta perpetrauit, ita totum quoq; vel præmijs ornare vel pœnis cruciare? Quod enim inter nos homines altera pars judiciorum seueritatem effugit & retributionis exsors permanet, imbecillitatis humanæ & impotentiæ judicum, quos ea nobis dedit, argumentū est. Diuinâ verò majestate & potentiâ dignum est diuinæ voluntati obsequutos æternis præmijs, reluctantes supplicijs perpetuis & numquā finiendis adficere; idq; vt fiat, quod euasisse videtur & vitâ excessit, è fugâ retrahere & in vitam reuocare. De possibilitate igitur & conuenientiâ res manifesta. Non tamen quicquid Deus facere potest, aut quicquid facere ipso indignum non est, id ea propter vel tenetur vel vult facere. Ad nihil enim tenetur,

CAP. IIX. tur, & quicquid extra se vult, liberè vult. Quod itaq; velit & decreuerit mortuos resuscitare, ex indicio, quod nobis fecit, credimus & intelligimus. Si quæ contra fidem nostram obijciantur, hisce nondum expedita, ijs quæ dicenda adhuc restant, expedientur.

CAPVT. IX.

Idem numero corpus resurgere. Quæ Origenes eiusq; adsectæ contrà obiecerunt, diluuntur.

SI ex Dei voluntate & beneplacito erit Resurrectio, vt erit omnino, & fore nos hactenus cùm è Scripturâ canonicâ diuinæ voluntatis indice, tum ex priscis ecclesiæ doctoribus ostendimus; quoniam, inquam erit Resurrectio, eamdem, quâ in hac vitâ præditi sumus, carnem, idemq; numero corpus, quod cum animâ hodie conjunctum est, restitui oportet. Nam vt idem numero redeat, in ipsissimâ & formali, vti loquũtur, Resurrectionis ratione includitur, adeo vt contradictionem implicet, carnis resurrectionem admittere, & carnis eiusdem numero restitutionem negare.

4. orth. fid. c. 28. II. Est enim ἀνάστασις, vt bene Damascenus describit, δευτέρα τὲ πεπτωκότος στάσις. — αὐτὸ δ' γὲ τὸ σῶμα, τὸ φθειρόμενον καὶ διαλυόμενον, αὐτὸ ἀναστήσεται ἄφθαρτον. *Resurrectio est eius, quod cecidit, iterata statio. Idem itaq; corpus, quod corrumpitur & dissoluitur, idem inquam resurget incorruptibile.* Irenæus: *Non aliud est quod moritur, & aliud quod viuificatur.*

Quem-

quemadmodum neq; aliud quod perit, & aliud quod inuenitur: CAP. IIX.
sed illam, quæ perierat, ouem inuenit Dominus exquirens.

III. Si aliud foret, non diceretur resuscitari vel resurgere, sed de nouo produci. Et si corpori nouiter producto anima, quæ in alio corpore pridem fuisset, vniretur; nihil id esset aliud, quàm μετεμψύχωσις quædam siue Pythagorica, siue Pharisaica, cuius neq; omnino similem neq; dissimilem deliros Manichæos statuisse discimus ex Epiphanio, recitante verba Tyrbonis cuiusdam, vnius è discipulis Manis, quæ, quà huc faciunt, subiungo: *Dicam vobis*, ait, *etiam hoc*, πῶς μεταγγίζεται ἡ ψυχὴ εἰς πάντα σώματα, *quomodo anima in omnia corpora transfunditur. Primùm purgatur modicum quid ab ipsa, deinde transfunditur in canis, aut in cameli, aut in alterius animantis corpus. Si verò anima interemerit animantia, in corpus interemtorum, & si deprehensa fuerit meßuisse, in mutas plantas transfertur. —— Et si quis panem manducauerit, ipsum quoq; panem factum manducari necesse est. Si quis occiderit auiculam, auicula erit: si murem, mus etiam ipse erit. Si quis dives fuerit in hoc mundo, & exiuerit è suo habitaculo, ipsum in pauperis corpus transire oportet.* Augustinus istud delirij in hunc modum exponit: *Animas auditorũ suorum in electos reuolui arbitrãtur, aut feliciore compendio in escas electorum suorum, vt jam inde purgatæ in nulla corpora reuertãtur. Cæteras autem animas & in pecora redire putant, & in omnia, quæ radicibus fixa sunt, atq; aluntur in terrâ.* Eiusmodi miserorum illorum nugamenta, quæ hodie quilibet sanus, nedum Christianus, ridet & detestatur.

vide cap. 2. num. 2, & 3.

hær. 66

ad Quodvultd. hær. 46.

IV. Est, vt paullò antè diximus, de ipsâ intrinsecâ ratione Resurrectionis, vt idem numero corpus restituatur & redeat. Neq; aliter permittit diuinæ iustitiæ & retributionis æquitas. Hoc enim ipsum corpus Christo

per

CAP. IX.

per baptismum fuit insertum; hoc ipsum sanctissimâ eucharistiâ, & corpore atq; sanguine Christi pridem alebatur; hoc ipsum erat animæ organum, & ad actiones perficiendas symbolam suam conferebat. Oportet igitur ipsum vnà cum animâ siue gloriæ siue pœnæ consortium subire; vel plecti, vel coronari. Inde Apostolus: *Omnes nos manifestos fieri oportet coram tribunali Christi,* ἵνα κομίσηται ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος, πρὸς ἃ ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθὸν, εἴτε κακόν, *vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Ita habent nonnulla exemplaria, & habuerunt illa quoq;, quæ sequutus est Vetus interpres. Alia verò, quæ videntur emendatiora, Chrysostomus item & Theophylactus, vnâ elisâ litterrâ legunt τὰ διὰ τοῦ σώματος, subintellige πεπραγμένα, vel quomodo effert Athenagoras, ἃ διὰ τοῦ σώματος ἔπραξεν, *vt recipiat vnusquisq; quæ per corpus admisit*, quemadmodum vertit Tertullianus quinto aduersus Marcionem; quamuis alibi legat, *vt vnusquisq; reportet per corpus, secundum quæ gessit, bonum siue malum.*

2. Cor. 5. 10.

de Resurr. sub fin.

cap. 12.

de Resurr. c. 43.

V. Est præterea resurrectio Christi, vtpote *primogeniti ex mortuis*, nostræ resurrectionis exemplar. Is verò cum suo sibi corpore resurrexit, cum ipso illo, in quo vixerat & in quo passus fuerat, cuius itidem citatrices, tanquam accidentia ista indiuiduo propria discipulis redivivus ostendebat, & de quo pridem Iudæis adfirmauerat: *Destruite templum hoc, & intra triduum resuscitabo illud.* Iobus etiam adeò perspicuè & expressè, vt non possit magis, *De carne meâ*, inquit, *videbo Deum, quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt, & non alius. Et ideo*, ait Rufinus, *satis cautâ & prouidâ adjectione fidem symboli ecclesia nostra* (in Aquilegiensi ipse erat presbyter) *docet, quæ in eo, quod à cæteris traditur, Carnis resurrectionem, vno addito pronomine*

Coloss. 1. 18.

Ioh. 2. 19.

c. 19. v. 26.

Expos. in Symb.

mine eradit HVIVS carnis resurrectionem: HVIVS sine dubio, quam is, qui profitetur, signaculo crucis fronti impositio contingit. Obserua non minùs pium quàm antiquum veteris illius ecclesiæ morem. CAP. IX.

VI. Origenes tamen hîc, vt in multis alijs, nonnihil turbauit & peculiarem opinionem inuexit. Videtur non potuisse capere, quomodo glorioſum corpus esse queat, quod carne & sanguine constet; neq; quomodo verum sit carnem resurgere, si non resurgat quicquid carnis, sanguinis & aliorum humorum totâ vitâ homo habuit. Hocitaq; quia futurum non sit, nec illud putauit fore. Credidit autem in resurrectione corpora quidem nos recepturos, sed corpora cœlestis cuiusdam substantiæ, carnis expertia & solam externam speciem siue figuram, quali pridem fuerint, seruantia. Ipsa ejus in hanc rem verba benè multa ex Methodio produxit Epiphanius. Inter cætera objectiones nonnullas haut absimiles paganorum dubitationibus: *An resurget sanguis, qui in venarum sectionibus effluxit, & carnes in morbis consumtæ, & pili omnes, qui vnquam nobis fuerunt, aut soli hi qui ad obitum vsq; manserunt?* Item: *Numquid velut alimenta in nostrum corpus digeruntur & transmutant similitudines: ita etiam nostra corpora transmutantur, & in carnivoris volucribus ac feris fiunt partes illorum corporum? Et rursus illa ab hominibus aut alijs animalibus comesta transmutantur, & fiunt hominum aut aliorum animalium corpora? & id vbi aliquoties factum fuerit, necesse est idem corpus plurium hominum sæpe partem fieri. Cujus igitur erit in resurrectione?* καὶ ὅτως εἰς βυθὸν φλυαρίας ἡμᾶς ἀλόγως συμβήσεται ἐμπίπτειν, *Et sic*, ait, *in profundum ineptiarum nos rationis expertes labi continget.*

CAP. IX.

VII. Ipse verò rem expedire rectèq; exponere sibi videtur, in hunc modum. *Oportet*, ait, *studiosum veritatis traditionem priscorum retinere, & cauere, ne cadat εἰς φλυαρίαν πλοχῶν νοημάτων, ἀδυνάτων τε ἅμα, καὶ θεῷ ἀναξίων in nugamentum sensus alicujus egeni, simulq; impossibilis & Deo indigni. Sic igitur in hac re distinguendum est. Omne corpus quod continetur naturâ foris secùs aliquid admodum alimenti adsciscente, digerente, & nonnulla, in vicem eorum, quæ ingesta sunt, egerente, (qualia videlicet sunt plantarum & animantium corpora) τὸ ὑλικὸν ὑποκείμενον materiale subjectum numquam idem habet. Quapropter corpus non malè fluuius appellatur, quia exactè considerando ne per biduum quidem primum subjectum (τὸ πρῶτον ὑποκείμενον) idem est in corpore nostro, quamquam Petrus aut Paulus semper idem est, non secundum solam animam, cujus essentia neq; fluit neq; quid aduentitium admittit, etiamsi corporis natura fluxa sit, sed ideo, quòd species quæ effigiat corpus, eadem sit, (τῷ τὸ εἶδος τὸ χαρακτηρίζον τὸ σῶμα, τ' αὐτὸν εἶναι) ita vt etiam eadem maneant figuræ, quæ corpoream Petri & Pauli qualitatem circunstant, juxta quam qualitatem quoq; cicatrices à puero in corporibus manent, aliaq; proprietates.* Mox: *Necesse est animam, dum in locis corporeis est, vti corporibus loco congruis. Et quemadmodum si aquatici facti in mari viuere debuissemo, omninò oportuisset nos ei rei conuenientẽ & piscibus consimilem corporis constitutionem habere: ita quum here des regni cælorum & in locis longè diuersis simus futuri, necesse erit vti corporibus spiritualibus, non quidem priore specie abolitâ, etiamsi ad maiorẽ gloriam ea transferatur.* Inde sententiæ suæ firmandæ adducit verba Apostoli: *Seritur corpus animale, suscitatur corpus spirituale.* Et: *Hoc dico, fratres, quia caro & sanguis non possunt regni Dei hereditatem consequi.* Hinc infert ille: *Caro non erit amplius, ἀλλ' ὅπερ ποτὲ ἐχαρακτηρίζετο ἐν τῇ σαρκὶ*

1. Cor. 15. v. 43 & 50.

καὶ τὸ χαρακτηρισθήσεται ἐν τῷ πνευματικῷ σώματι, *sed qui characteres aliquãdo impressi erant in carne, illi imprimẽtur in spirituali corpore.* Ex similitudine, quam adhibet Apostolus, eadem conatur euincere. *Dicet aliquis, Quomodo suscitantur mortui? quali autem corpore prodeunt? Despiens, quod tu seris, non viuificit, nisi mortuum fuerit. Et quod seris, nõ corpus oriturum seris, sed nudum granum;* quæq; sequuntur. Hic exclamat; γυμνῶς περίεσιν, ὅτι τὸ πρῶτον ὑποκείμενον οὐκ ἀναστήσεται, *simpliciter & perspicuè declarat Apostolus, quòd primum subjectum non resurget:* nempe quia aliud est corpus grani, quod seritur, aliud corpus plantæ, quod è fato grano consurgit. CAP. IX. v. 35 & seqq. hær. 64.

IIX. Proclus apud eumdem Epiphanium sententiam Origenis similitudine satis crassâ expressit. *Vidisti,* inquit, *pellem animalis aut quid aliud eiusmodi aquâ impletum, quomodo si sensim depleatur & sensim repleatur, eamdem semper speciem exhibeat. Quale enim fuerit quod continet, tale necesse est quod continctur, efformari. Age enim effluente sensim aquâ si quis quantum effluit tantum injiciat, neq; sinat vtrem simul & semel euacuari, necesse est tale apparere quod adjicitur, quale totum est. Et sanè si huic rei corpus quis velit assimilare, haud aberrabit. Eodem enim modo quæ ab alimento in vicem recedentium carnium sufficiuntur, in figuram speciei continentis transmutantur. Et quod quidem ad oculos diffunditur, oculis; quod ad faciem, faciei; quod ad alias partes, illis ipsis simile evadit, vt quisq; appareat vnus & idem,* οὐκ ἐσῶν τῶν συνεχῶν ἐν ταυτῷ τῶν πρώτων ὑποκειμένων, *non quòd in eo carnes sint primum subjectum, sed quòd species, juxta quam ea, quæ apponuntur,* εἰδοποιῆται, *formam accipiunt. Proindesi ne ad paucos quidem dies ijdem sumus corpore, sed specie in corpore, quæ sola ab ortu vsq; perseverat; multò itaq; minùs tunc ijdem secundum eamdem carnem erimus, sed secundum speciem, quæ nunc quoq; semper in nobis conservatur & manet. Quod enim illis in simili est pellis, hoc species hic; quod illic aqua, hoc hic est id.* hær. 64.

CAP. IX. *quod accedit & recedit. Quemadmodum ita q; nunc, quum corpus non sit idem, character tamen secundum eandem formam idem seruatur: ita quoq; tunc, etiamsi corpus non fuerit idem, species in majorem gloriam euecta non jam in corruptibili, sed in exsorte passionum & spirituali corpore conspicua erit.*

cap. 7. num. 10. IX. Methodium episcopum & matyrem deliria ista Origenis refutasse, pridem monuimus. Idem fecisse Olympium Adrianopolitanum in Lyciâ, & Antipatrum Bostranum episcopos scribit Maximus scholijs in Dionysium, quem Areopagitam vulgò dicunt.

de eccl. hier. c. vlt.

epist. 61. X. Hieronymus ad Pammachium contra Iohannem Ierosolymitanum differens Iohanni & Origenianis tribuit, quòd ne quidem in corpore, quale fingebant, spirituali diuersitatem membrorum aut aliquid visui tactuiúe expositum admiserint. Ita enim eorum sententiam proponit: *Nunc oculis videmus, auribus audimus, manibus agimus, pedibus ambulamus: in illo autem corpore spirituali toti videbimus, toti audiemus, toti operabimur, toti ambulabimus: & transfigurabit Dominus corpus humilitatis nostræ, conforme corpori claritatis suæ gloriæ. Quando dixit*, transfigurabit, *id est*, μεταχηματίσει, *membrorum, quibus nunc vtimur, diuersitas denegatur. Aliud nobis spirituale & æthereum promittitur, quod nec tactui subiacet, nec oculis cernitur, nec pondere prægrauatur, & pro locorum, in quibus futurum est, varietate mutabitur.* Et posteà contra hunc errorem disputans, exemplumq; Domini in monte transfigurati opponens,

cap. 9.

Phil. 3. 21.

cap. 10. *Sic & Dominus noster*, ait, *in monte transfiguratus est in gloria, non vt manus ac pedes cæteraq; membra perderet, & subitò in rotunditate vel solis vel sphæræ volueretur: sed eadem membra solis fulgore vtilantia Apostolorum oculos perstringerent.* Vrget enim Hieronymus

cap. 7. exemplum Domini cùm transfigurati, tum resurgentis,

tis, vtpote *qui* fatentibus illis, *primogenitus ex mortuis, primitias massæ corporum nostrorum, quas in sepulcro pestas suscitauit, peruexerit ad cœlum, spem nobis resurrectionis in resurrectione proprij corporis tribuens.* Quamquam excipere illi solebant, *id corpus alijs pollere priuilegijs, quod de viri semine & carnis voluptate non sit natum.* Neq; tamen ipsum *dissimulare naturam aërei corporis & spiritualis*, dum *clausis ingreditur ostijs, & in fractione panis ex oculis euanescit.* CAP. IX. cap. 9.

XI. Conqueritur autē de Iohanne Hieronymus, quod quum de resurrectione scripsisset, *nouies resurrectionem nominans corporis, ne semel quidem CARNIS inseruerit.* Sanè in speciem satis rectè verba fecerat: *Omnes sic speramus resurgere ex mortuis, sicut ille* Christus *resurrexit. Non in alijs quibusdam peregrinis & in alienis corporibus, quæ adsumuntur in phātasmate. sed sicut ipse in illo corpore, quod apud nos in sancto sepulcro conditum, resurrexit, ita & nos in ipsis corporibus, quibus nunc circumdamur, & in quibus nunc sepelimur, eadem ratione & visione speramus resurgere.* Item: *Ipse suscitabit omnes mortuos, & ante suum tribunal esse faciet: & vnicuiq; reddet secundum quod egit per corpus, siue bonum, siue malum: scilicet aut coronandus erit in corpore, quod castè egit & justè; aut condemnandus, quod voluptatibus pariter iniquitatibus q; seruiuit.* cap. 7.

XII. Sed Hieronymus fraudem perspexit & detexit. *Alia*, inquit, *carnis, alia corporis definitio est. Omnis caro est corpus; non omne corpus est caro. Caro est propriè, quæ sanguine, venis, ossibus neruisq; constringitur: corpus quamquam & caro dicatur, interdum tamen ethereum vel aëreum nominatur, quod tactui visuiq; non subjacet.* —— *Patet, quare corporis & non carnis resurrectionem dixeris: scilicet vt nos rudes carnem te dicere putaremus in corpore; & hi, qui perfecti sunt, intelligerent carnem in corpore denegari.* Rectè autem commune ecclesiæ sym- cap. 9.

CAP. IX. bolum opponit: *In symbolo*, ait, *fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum non scribitur in chartâ & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis & vnitatis ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur. Et tu tantùm in* corporis, *& iterum* corporis, *& tertiò* corporis, *& vsq; nouies* corporis *vel sermone vel numero immoraris: nec semel nominas carnem; quod illi semper*
cap. 11. *nominant carnem, corpus verò tacent.* Rectissimè etiam: *Resurrectionis veritas Catholicæ, sine carne & ossibus, sine sanguine &*
cap. 12. *membris intelligi non potest.* —— *Et ipsum Resurrectionis vocabulum*
num. 1. *significat, non aliud ruere, aliud suscitari.* Sicut nos quoq; paullò antè ostendimus, contradictione semet irretire eos, qui aliter statuunt.

XIII. Reliquiæ horum errorum diu in ecclesiâ hæserunt. Nam quarto post Origenem seculo Eutychius *Constantinopolitanæ vrbis episcopus scripsit, corpus nostrum in illâ resurrectionis gloriâ fore impalpabile, ventis & aëre subtilius.* Testis est Gregorius magnus, episcopus Romanus; qui quum adhuc diaconus & Constantinopolim legatus missus esset, disputatione cum Eutychio, illa, quibus Origenem nixum suprà diximus, Pauli verba ad opinionem suam trahente & allegante, congressus est. Dissidio ingraueſcente cognitionem caussæ sibi sumsit Tiberius Constantinus Imperator, *& vtriusq; partis allegationem pensans, librum quem de Resurrectione* Eutychius *scripserat, suis quoq; allegationibus destruens, deliberauit, vt flammis cremari debuisset. A quo*, ait Gregorius, *vt egressi sumus, mee agritudo valida, eumdem verò Eutychium agritudo & mors protinus est sequuta. Quo mortuo, quia panè nullus erat, qui ejus dicta sequeretur, dissimulaui cepta persequi, ne in fauillas viderer verba jaculari. Dum tamen adhuc viueret, & ego validissimis febribus agrotarem, quicumq; notè*

mei

mei ad eum salutationis gratiâ pergebant, vt eorum relatione cognoui, ante eorum oculos pellem manus suæ tenebat dicens : Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus. Quod, sicut ipsi fatebantur, omnino priùs negare consueuerat. Ista & plura, si lubet, vide apud Gregorium, quem laudauimus, Expositione morali in Iobum, lib. XIV. capite XXIX. CAP. IX.

XIV. De Iohanne Philopono pridem diximus, videri ipsum consimilem opinionem fouisse, & ejusdem numero corporis resurrectionem negasse. Nescio num sententiæ & sectatoribus Philoponi opposita verba Concilij Toletani vndecimi, habiti anno quarto Bambæ vel VVambani regis, post obitum quidem, vt videtur, Philoponi, eodem tamen, quo ille vixerat, seculo. Sunt autem in professione fidei ista : *Exemplo capitis nostri confitemur verâ fide resurrectionem carnis omnium mortuorum : nec in aëreâ vel qualibet aliâ carne (vt quidem delirant) resurrecturos nos credimus, sed in istâ, quâ vivimus, consistimus & mouemur.* c. 4. num. 13. 14. 15.

XV. Neq; placent, quæ scripsit Durandus de sancto Portiano existimans, modò eadem sit anima rationalis, quæcumq; tandem & vndecumq; fuerit materia, eumdem tamen numero hominem fore, quòd materia ex se idemtitatem vel distinctionem nullam habeat, & propterea ad compositi idemtitatem & distinctionem nihil quoque conferat. Verba eius sunt : *Cuicumq; materia vniatur anima Petri in resurrectione, ex quo est eadem forma secundum numerum, per consequens erit idem Petrus secundum numerum.* Ratio ejus est, *quòd quum materia sit pura potentia, non habeat de se aliquod esse, sed solum posse esse : à forma verò sit totum esse, & per consequens idemtitas & diuersitas, quum quodlibet ab eodem habeat esse, & esse in se vnum & ab alio diuersum. Patet ergo*, inquit, *quòd materia de se nullam habet idemtitatem vel diuersitatem,* 4. dist. 44. qu. 1. num. 6. num. 7.

CAP. IX.

sitatem, nisi quam habet à formâ: & sic manente eâdem formâ est & eadem materia, vndecumq; veniat, & per consequens est idem compositum. Tandem eò labitur, ut dicat, partes essentiales hominis non resurgere, sed *ex solâ carum reunione hominem resurgere*, quum materia prima non minùs incorruptibilis sit, neq; magis ceciderit, quàm anima rationalis. Id equidem, quomodo cum fide nostrâ catholicâ, quâ Resurrectionem carnis, & hujus quidem carnis credere nos profitemur, conueniat, non video. Neq; partes essentiales hominis satis rectè & disertè exprimit, qui animam & materiam primam dicit: dicendum enim fuerit animam rationalem & corpus organicum ejusmodi partes esse. Anima quidem non cadit, & propterea neque resurgit: at certè corpus illud organicum & caro nostra cadit, vt vel ipsis oculis manifestò cernimus. Resurget itaq; corpus, resurget caro, quemadmodum symbolo profitemur & prisci patres nos docent.

qu. 2. num. 5.

XVI. Totalis sanè & integer terminus Resurrectionis est homo constans animâ & corpore rediuiuo: partialis verò terminus est restitutio corporis organici in pristinam integritatem. Videtur commodè in hunc quoq; modum res efferri siue explicari posse, nempe Hominem rediuiuum esse terminum Resurrectionis *vt qui*: redintegrationem corporis esse terminum *vt quo*; ipsam quoq; animæ in redintegratum corpus iteratam immissionem esse terminum *vt quo*: hunc quidem vtrumq; partialem, atq; ita, vt prior ad posteriorem dispositio & præparatio sit; illum verò, Hominem inquam rediuiuum, integrum & totalem.

XVII. Præterea euidens est proximam materiam corporis organici esse ossa, neruos, arterias, venas, carnem

nem. Hisce vicissim materia sunt elementa aptè mixta & concinnata. Elementis tandem substernitur materia prima. Iam sicut essentiam hominis conficiunt anima & corpus, ita vicissim corporis essentiam forma mixti siue corporea, & materia. Ad essentiam itaq; corporis & per consequens hominis pertinet materia; neq; id vllâ probabili ratione potest negari. Vt igitur eadem numero sit aut redeat corporis essentia, necesse est eamdem quoq; numero esse & redire materiam, nempe vt sub formâ ossis, carnis, nerui, brachij, pedis, eadem denuò sit, quæ pridem sub ejusmodi formâ fuerat. Nam si sit alia, quæ numquam sub ejusmodi formâ fuerit, ne concipi quidem potest, quomodo esse queat idem os, eadem caro, neruus, brachium, pes, præsertim quum hujusmodi formæ à materiâ pendeant, ex ejus potentiâ eductæ & in eam vicissim relapsæ. CAP. IX.

XIIX. Neq; perperam accipiendum, quod dicitur materia pura esse potentiâ. Est quidem in purâ potentiâ, vt sit tale ens vel tale, non tamen vt simpliciter sit, siue vt extra nihil sit, & actum aliquem entitatis obtineat. Habet enim suam sibi realem entitatem (incompletam tamen) diuersam ab entitate formæ, quandoquidem vnâ cum formâ realem facit compositionem, & intereuntibus formis ipsa durat, vnam abjiciens & aliam recipiens, manensq; vna & eadem sub vtroq; termino transmutationis. Sicut itaq; propriam habet entitatem, ita quoq; vnitatem in se & diuersitatem ab alijs. Quicquid equidem materiæ in rerum naturâ sub orbe est lunari, eadem est materia specie. Vt autem hæc sit alia numero, & ista item alia, facit diuersitas subjectorum siue suppositorum, quæcumq; tandem fuerit caussa, vt hæc pars

CAP. IX.

materiæ huic ſuppoſito, altera alteri, tertia tertio coſſerit. *Ea* enim, vt Philoſophus docet, *tamquam plura numeramus, quæ continua non ſunt.* Nempe vnitas & diſtinctio materiæ eſt talis, qualis eſſe ſolet rerum homogenearum, quarum partes integrantes ſi ſint actu disjunctæ, ſunt quoq; plura numero indiuidua & actu diſtincta: ſi verò disiunctæ non ſint, ſed continuæ, ſunt actu vnum numero & plura in potentiâ. Materia igitur eadem ſpecie diuerſificatur numero juxta diuerſitatem ſuppoſitorum, in quibus inuenitur, vt non ſit eadem-numero materia, quæ in Petro nunc eſt, & quæ in Iohanne, & quæ in boue, & quæ in arbore, & quæ in lapide. Formaliter quidem diuerſificatur ipsâ ſui diuiſione ſiue diſtinctione: efficienter verò per illas cauſſas, quæcumq; diverſitatem ſuppoſitorum introduxerunt. Malè itaq; docet Durandus eumdem fore hominem & idem corpus, etiamſi tota materia aliunde adueniat & numquam anteà formâ iſtius humani corporis informata fuerit: eumq; ad modum diſputans idemtitatem corporis reſurgentis atq; adeo veritatem reſurrectionis tollit & euertit.

5. Metaph. text. 11.

XIX. Etiamſi verò materia, vtpote per naturam incorruptibilis, tota ſuperſit, & eadem numero, nempe quæ pridem formâ corporis & membrorum humanorum prædita fuerat, ad idem corpus eademq; membra conſtituenda redeat; quid fiet, inquies, formâ corporis & membrorum, quæ vti materia, non manet neq; manere poteſt, ſed tota corrupta eſt? num etiam forma, quæ penitus interijt, eadem numero reſtitui poterit? Thomas quidem & qui eum ſequuntur, facilè ſeſe hinc expediunt. Dicunt enim, nullam eſſe in homine formam ſubſtantialem, præter immortalem animam: & non modò

dò sentientem & vegetantem, sed formam quoq; corporis & mixti substantialem nihil aliud esse, quàm animam intelligentem. *Oportet*, ait Thomas, *quòd corporeitas prout est forma substantialis in homine, non sit aliud quàm anima rationalis — Neq; in homine est alia forma substantialis, quàm anima rationalis.* Sed ea sententia numquam mihi arrisit. Substantialem enim formam siue corporis totius siue singulorum membrorum (vt de hac saltim, neq; de vegante & sentiente animâ quicquam dicamus) diuersam esse ab animâ rationali (quamuis hæc vltima & specifica sit forma, dans actum completum, cui nequeat addi alius) arguit manifestò, quòd reapse separari possint & reapse separentur. Abscedente videlicet in morte animâ rationali, manet substantia corporis & substantialis forma corporis quà corporis. Omninò autem realiter differunt, quæ realiter separari possunt. CAP. IX. 4. cont. gentes c. 81.

XX. Dico itaq; quasuis formas corporeas, materiatas siue inseparabiles, eas inquam, quæ à materiâ in fieri, esse & conseruari dependent, quales sunt omnes sublunares præter animam rationalem, sicut è nihilo non fiant, ita quoq; in nihilum non recidere, neq; penitus interire: sed quemadmodum educuntur è potentiâ materiæ, ita quoq; in potentiam materiæ vicissim relabi. Sicut itaq; priusquam viribus caussarum efficientium è potentiâ materiæ educerentur, actu quidem non erant, sed potentiâ: ita quoq; quando relapsæ sunt in potentiam materiæ, non jam sunt amplius actu, atq; adeo verè interierunt; sunt tamen in potentiâ, non quidem naturali, quæ actum recipiat ab agentibus naturalibus, sed in obœdientiali, per quam creatam entitatem secundum se totam Creatoris arbitrio & potentiæ subijci necesse esse

CAP. IX. significatur. Per potentiam igitur infinitam diuinam ex hac materiæ potentiâ, in quam relapsæ rursus sunt, denuò educentur, reuocatâ pristinâ materiâ eâdem numero ad eumdem situm, easdemq; partium ejus ad sese inuicem habitudines & vltimas dispositiones: quibus omnibus ita positis elicietur eadem forma, quæ erat priùs. Anteà rem declarauimus exemplo statuæ diffractæ & refectæ. Aliud & quidem familiarius esse potest ædium exstructarum & posteà disjectarum ita, vt soluantur omnes commissuræ & coassationes; neq; tigni, neq; trabes, neq; asseres neq; imbrices suo maneant loco; quin in diuersa & longinqua loca auehantur. Si iterum colligatur in vnum tota materia & ab artifice denuò coagmentetur & compingatur, singulæq; partes ad pristinum situm mutuamq; habitudinem pristinam reuocentur, per ejusmodi iteratam materiæ dispositionem restituetur amissa forma ædium, & erunt ædes eædem, quæ fuerant priùs.

cap. 8. num. 23.

XXI. Obseruandum enim formas hasce à materiâ dependere in fieri, esse & conseruari: neq; illam materiæ dissipationem siue disjectionem, neq; iteratam vniendi actionem vnitati & idemtitati obstare posse, quum & dissipatio & vnio extrinseca sit cùm partibus tum essentiæ suppositi: Vnio, inquam, quatenus dicit actionem vniendi, extrinseca est; quatenus autem mutuam dicit habitudinem partium, intrinseca: sed sic eadem redit. Neq; minùs, quatenus dicit relationem quæ vnitas partes consequatur, eadem redire censebitur, nempe eodem restituto fundamento & ijsdem terminis. Quò autem certius est totum compositum siue integrale siue essentiale non re aliquâ sed solâ ratione differre à partibus

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0128
Mecklenburg Vorpommern

bus componentibus simul sumtis & per intrinsecam vnionem, quæ distincta res non est, sed rei modus, conjunctis; eò faciliùs est intelligere & defendere, quòd redeat idem numero suppositum siue compositum. Quum enim compositum nihil aliud sit, quàm materia & forma vnitæ, vbi intellexeris materiam & formam vniri, eâdem operâ intelliges resultare compositum, & quamuis aliquando destructum fuerit, idem tamen numero restitui, si materia & forma eædem vniantur. Vbi igitur è pristinâ eâdem materiâ eadem membrorum corporisque forma per diuinam potentiam denuò elicietur & reuocabitur, redibunt eadem membra idemq; corpus, quod pridem erat. Et vbi præterea eidem corpori eadem vnietur anima rationalis, redibit quoq; idem, qui pridem fuit, homo, & eadem humanitas, quippe quæ sit aliud nihil, quàm corpus & anima cum mutuâ intrinsecâ vnione. CAP. XI.

XXII. Nobis quidem ad eum modum visum est procedere. Faciliùs autem, vt monui, sese expediunt, quotquot cum Thomâ statuunt animam rationalem nec aliam vllam esse corporis organici humani substantialem formam. Per nos sanè licet, hanc viam insistant, quibus lubet & potior ea videtur. Vtrâuis enim eatur, veritas & identitas corporis rediuiui, quam nos adsertum modò imus, defenditur. Atq; ista, occasione eorum quæ disputauit Durandus, vt argutijs negotium alioquin facessentibus responderi possit, dicta sunto.

XXIII. Nunc ad Origenem reuertamur. Creditur ille à nonnullis studio philosophiæ nimium indulsisse, & per eam in errores lapsus esse. Nobis autem magis ignorantiâ veræ philosophiæ, quàm peritiâ laborasse vi-

CAP. IX. detur. Sanè si melior philosophus fuisset, rectiùs hîc sensisset, neq; vmquam docuisset, per solam externam accidentalem figuram præstari, vt eadem substantia & idem sit corpus. Quamquam nec ipsa illa figura poterit esse eadem numero, si fuerit in diuerso subjecto & materiâ prorsus aliâ.

XXIV. Quod objcit de carne humanâ à bestijs comestâ, siue quòd, vt ille ait,

Lucret. lib. 3. *nostro de corpore sæpè ferarum*
Augescant vires, & corpora pennipotentum;

id verò jam pridem expositum est & solutum. Et scitè Hieronymus aduersus Iohannem Ierosolymitanum:

ep. 61. cap. 11. *Qui Christianum esse te dicis, gentilium arma depone. Discant illi magis à te resurrectionem carnis confiteri, quàm tu ab illis negare.*

De carne in morbis absumtâ itidem anteà dictum est. Habent se quidem res, quarum substantia fluxa est, quales sunt, quæcumq; viuunt & nutriuntur, cum ad modum, vt subinde aliquid recedat, & accedat aliud, quod virtute naturæ toti residuo adsimiletur & vniatur. Sed quum modicum admodum sit, quod singulis vicibus vel abit vel succenturiatur, facilè subjecti & ejusdem quidem numero subjecti vicem sustinet, quod residuum est. Neq; enim tantillum, quod recedit aut accedit, ipsi tanto, quod manet, subjecto substantialiter & secundum numerum variando par est: neq; accessio illa, nisi parti homogeneæ, primò & proximè obtingit. Pars autem homogeneæ ejus est naturæ, vt si cum parte sui simili jungatur & continuetur, cum eâ vnum faciat & idem numero censeatur. Sic si in grandem cupam aquâ plenam quotidie, quantum in auras exhalat, aliunde sensim & gut-

tatim instilletur, quod accedit cum aquâ priore mox v- CAP. XI.
nitur, neque diversitatem vllam inducit.

XXV. Sanguinem, humores & pilos quod attinet, breuiter dico, resurrecturum, quicquid ad essentiam & integritatem hominis pertinet. Ad essentiam pertinent, vti notum est, anima & corpus; ad integritatem membra & membrorum partes. Hæc itaq;, vt verus & integer homo sit, resurgere omninò oportet. Neq; obstat, membra quædam, quãlia stomachus, hepar, intestina & alia, nullum in futurâ vitâ vsum habitura: resurgent enim non quatenus organa sunt, naturali cuidam operationi destinata; sed quatenus partes sunt totum conficientes & integrantes. De sanguine igitur dico, qui sanguis constituendo, non modò alendo corpori facit, resurget. Similiter de humoribus, qui partes sunt & membris coaluerunt, itidem resurgent: non autem, qui tantummodò ad nutrimentum faciunt; multò minùs excrementitij. Pili verò licet ipsi quoq; è superfluo nascantur, neque ad essentiam vel integritatem pertineant; quantum tamen eorum ad venustatem & decorem requiritur, aut ad hoc etiam, ne rediuiuum corpus ab eo quod hîc vixit, secundum externam speciem diuersum appareat, resurgentibus haut deerit.

XXVI. Potissima argumenta Origenis & adsectatum petuntur è verbis nonnullis Apostoli Pauli 1. Corinth. XV; quæ propterea interpretari & à corruptelis vindicare oportet. Quum futuram fidelium resurrectionem argumentis, quæ suo suprà loco consideraui-mus, adstruxisset, de qualitatibus rediuiuorum corporum (non tamen omnium, sed ipsorum illorum fidelium, vt res & verba manifestum faciunt) subjunge &

age-

CAP. IX. agere incipit, ita vt objectioni ab infidelitate profectæ eâdem operâ occurrat. Geminam itaq; format quæstionem: v. 35. *At dicet aliquis, Quomodo ſuſcitantur mortui? Quali autem corpore prodeunt?* Reſpondet objurganti ſimilis, vt incredulitatem ipſum reprehendere facilè intelligas: v. 36. *Demens, quod tu ſeris, non viuiſcit, niſi mortuum fuerit.* Profert in medium rem naturalem & nobis familiarem, quæ reſurrectionis documentum exhibeat. Si enim corruptio non obſtat, quin per potentiam naturæ è grano prodeat planta & fructus; quomodo obſtare poterit corruptio & putredo corporis humani, ne per omnipotentiam diuinam homo reſurgat? Quin imò quum citra corruptionem ſiue deſtructionem non poſſit fieri, vt ex grano oriatur planta: ita quoq; mortem & corporis noſtri cinefacti diſſolutionem redintegrationi præludere & viam munire cenſebimus. Tantum igitur abeſſe docet Apoſtolus Reſurrectionem fore impoſſibilem, vt in medio rerum naturalium ante oculos interq; manus noſtras luculentum ejus ſymbolum ſiue ſpecimen quotidie appareat. *Noli ergò*, ait ad hæc verba Auguſtinus, *incredule homo de reſurrectione dubitare. Qui grana ſeminum mortua & putrefacta viuificat, per quæ in hoc ſeculo viuas, multò magis te ipſum ſuſcitabit, vt viuas in æternum. Qui illa reparat, quæ tibi ſunt neceſſaria, quomodo teipſum non reparet, propter quem & alia reparare dignatus eſt?*

de verb. Ap. ſerm. 34.

XXVII. Hoc verò plantæ è grano enaſcentis ſymbolum non modò ſimpliciter imaginem Reſurrectionis præbet, ſed idem quoq; reſponſionem ſuppeditat ad alteram quæſtionem, *Quali corpore mortui prodeunt?* Nempe qualitates corporum reſuſcitatorum, & quantum inter corpus hujus & alterius vitæ, inter corpus quod moritur

&

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0132
Mecklenburg Vorpommern

& quod resurgit, interſit, ſimul exprimit & repræſentat. CAP. IX.
Verba Apoſtoli ſunt : *Et quod ſeris, non corpus oriturum ſeris,* v. 37.
ſed nudum granum, ſi caſus tulerit, tritici aut alicujus ex reliquis
ſeminibus. Sed Deus ei dat corpus vt voluit, & ſingulis ſeminibus v. 38.
ſuum corpus, vt cuiq; ſcilicet ſpeciei conuenit. Obſerua Apoſtolum non jam de ſubſtantiâ, ſed de qualitate reſuſcitatorum corporum agere, & reſpondere quæſtioni, *Quali corpore mortui prodeunt?* Non igitur accommodatio facienda, vti fecit Origenes ; Sicut granum quod ſeritur & planta quæ inde naſcitur, corpora diuerſa ſunt ſecundum ſubſtantiam, ita quoq; corpus quod moritur & quod reſurgit: ſed in hunc modum ; Quemadmodum vile & exile corpus nudi & inueſtis grani ſeritur, exoritur autem corpus admodum ſpecioſum, vireſcens, floridum, adſurgens in culmum, ſpicam & ariſtam, ſimiliter quoq; corpus humanum quod moritur, ab eo quod reſurget, ſpecie, decore & ornatu ſuperabitur, vt tanta ſit inter illud & iſtud diſparitas, quanta eſt inter nudum granum & virentem florentemq; plantam. Diſparitas inquam, non in numero & ſubſtantiâ, ſed in qualitatibus & dotibus: neq; enim ejuſmodi qualitatum diuerſitas ſubſtantiæ diuerſitatem inducit. Eamdem rem, diſparitatem videlicet qualitatum & decoris, quæ tamen ipſam in ſe ſubſtantiam non attineat, alijs quoq; exemplis declarat. Omnis caro naturam carnis obtinet, & nihilominus diuerſorum animantium carnes diuerſis præditæ ſunt qualitatibus. Ita etiam cœleſtia & terreſtria corpora, vtraq; corpora ſunt; longè tamen major & excellentior cœleſtium decor, quàm terreſtrium: quin inter ipſa cœleſtia, etiamſi ejuſdem ſint ſubſtantiæ, quò ad ſplendorem tamen & decorem maxima eſt differen-

CAP. IX. tia. Ipsa Pauli verba hæc sunt: *Non omnis caro, eadem ca-*
v. 39. *ro, sed alia quidem caro hominum, alia autem caro pecorum, alia*
v. 40. *autem piscium, alia verò volucrium. Et sunt corpora cœlestia,*
v. 41. *& corpora terrestria: sed alius quidem cœlestium decor, alius*
v. 42. *verò terrestrium. Alius decor Solis, & alius decor Lunæ: & alius decor stellarum, stella enim stellæ præstat decore. Ita & resurrectio mortuorum.* Mirum itaq; videri non debet, corpus quod in morte deponimus, & in resurrectione recipiemus, quamuis substantiâ idem futurum sit, alijs tamen ijsq; eminentioribus & augustioribus dotibus auctum & exornatum iri.

XXIIX. Pergit per anthithesin differentiam inter corpus quod seritur siue sepelitur & instar seminis (hinc enim sumtâ metaphorâ gaudet) humo conditur, quodque suscitabitur, ostendere. *Seritur*, ait, *cum corruptione*, siue corruptioni & putredini obnoxium; *suscitatur cum*
v. 43. *incorruptione: seritur fœdum*, siue fœditatis & turpitudinis, quæ sanè in cadaueribus maxima est, plenum; *suscitatur cum gloriâ: seritur cum infirmitate*, siue potius omnibus suis viribus exutum, vt jam neq; videat, neq; sentiat, neq; se loco moueat aut mouere possit; *suscitatur potens: seritur corpus animale; suscitatur corpus spirituale.* Animale corpus est, quod obnoxium infirmitatibus, quales naturam animalis consequuntur, fami, siti, morbis & tandem morti; quodq; ea propter necesse habet nutritione indiuiduum, generatione speciem conservare. Spirituale verò, quod perfectè & sine difficultatibus & impedimentis spiritui viuificanti subjectum, præditumq; conditionibus & affectionibus, quales spirituum sunt, neq; sitit, neq; esurit, neq; dormit, neq; morbet, neq; moritur. Breuiter; animale corpus est, quod ab animâ secun-

cundum naturæ ordinem regitur, & famem, sitim, lassitudinem, aliasq; molestias patitur: spirituale verò, in quo æterni spiritus vis & potētia perfectè dominabitur, quodq; supra naturæ suæ statum & conditionem diuina virtus euehet, & ab incommodis & infirmatibus omnibus immune præstabit. Rectè igitur Augustinus XIII. de ciuitate Dei cap. 22: *Spiritualia erunt, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu viuificante subsistent. Nam sicut ista*, inquit, *quæ habent animam viuentem, nondum spiritum viuificantem, animalia dicuntur corpora, nec tamen animæ sunt; ita illa spiritualia vocantur corpora. Absit tamen, vt spiritus ea credamus futura, sed corpora carnis habitura substitutiā, sed nullā tarditatem corruptionemq; carnalē spiritu viuificante passura.* CAP. IX.

XXIX. *Est corpus animale*, ait Apostolus, *& est corpus spirituale.* Nempe placuit Deo inter corpora humana & quidem suorum fidelium hanc esse differentiam, vt dum in hisce terris agunt, animalia corpora sint; post resurrectionem demum, spiritualia. *Ita etiam scriptum est* à Mose: *Factus est prior homo Adamus in animam viuentem*, siue factus est animal viuens, & talis, qui juxta naturam animalis ad sui sustentationem escâ & potu indigeret, plurimisq; infirmitatibus obnoxius esset: *posterior* autem *Adamus* factus est *in spiritum viuificantem*, siue spiritus viuificus, h. e. Christus non tantùm vixit vitam animalem & naturalem, quemadmodùm Adamus, sed in ipso corporaliter inhabitat tota plenitudo deitatis & spiritus vivificus, per quem spiritualem vitam largitur & sibimetipsi, & omnibus suis, cunctasq; infirmitates, quæ in priore erant Adamo, abolet. Manifestum itaq; corpus animale esse, quale per naturalem generationem ab Adamo trahimus, obnoxium videlicet peccato, & propter

V. 44.

V. 45.

CAP. IX. peccatum corruptioni & morti : spirituale verò, quale per regenerationem postremam à Christi gratiâ & potentiâ consequemur. Sicut enim regeneratio & renouatio, quæ animam potissimùm spectat & in hac vitâ fit, resurrectio prima dicitur, Apocal. XX, 5. & 6. ita vicissim resurrectio è mortuis, per quam totus homo perfectè renouatur & beatur, παλιγγενεσία, siue regeneratio appellatur Matth. XIX, 28. Initium quidem regenerationis per Spiritum Christi in hac vitâ fit : *venit* enim *tempus, & nunc est, quum mortui audient vocem Filij Dei ; & qui audierint viuent*, Iohan. V, 25. Sed ista regeneratio siue resurrectio prima corpus consuetis infirmitatibus non eripit, sed obnoxium relinquit. At resurrectio ac regeneratio secunda cùm istas, tum mortem ipsam penitus abolet & absorbet. Contentos autem nos oportet esse, dum hanc vitam viuimus, resurrectione primâ, infirmitates & mortem non excludente. Quippe statutum est diuinitùs, quia ab vtroq; Adamo vitam acceperimus, à priore quidem animalem per naturam, à posteriore spiritualem per gratiam, vt animale corpus habeamus & prioris terrestris istius imaginem geramus priùs, quàm per resurrectionem spirituale corpus & imaginem illius posterioris cœlestis consequamur. v. 46. *Spirituale*, ait Apostolus, *non est prius, sed animale ; deinde spirituale.* Nempe præcedere oportet vitam animalem ; excipiet & subsequetur vita spiritualis. v. 47. nam temporis quoq; ratione *prior* est *homo è terrâ puluereus* ; *posterior* est *homo* juxta adsumtam videlicet humanitatem suam, *ipse Dominus è cœlo*, cujus virtute & beneficio spiritualem vitam adipiscemur. v. 48. *Qualis puluerens ille, tales & puluerei sunt ; & qualis ille cœlestis, tales & qui cœlestes, erunt* : transfigurabit scilicet corpus nostrum humile, vt con-

conforme fiat corpori ſuo glorioſo, Philip. III, 20. *Et ſicut geſſimus imaginem terreni, geremus etiam imaginem cœleſtis.* Cap IX. v. 49.

XXX. *Hoc autem dico, fratres, quia caro & ſanguis non poſſunt regni Dei hereditatem conſequi.* Quod anteà corpus animale dixit, nunc vocat carnem & ſanguinem, excludens à conſortio regni cœleſtis non ſubſtantiam carnis & ſanguinis, ſed corruptibilitatem naſcendo contractam & ab Adamo deriuatam; quod ipſum ipſe ſubjunctis immediatè verbis explicat & declarat: *neq; corruptio hereditatem incorruptibilitatis conſequetur. Hac repetitio,* ait alicubi Auguſtinus, *ſententiæ ſuperioris eſt expoſitio, vt quod ibi dictum eſt Caro & ſanguis, hic intelligamus corruptionem, non ſubſtantiam carnis.* Caro itaq; & ſanguis ſiue natura humana, non quatenus natura, ſed quatenus corrupta, ſiue quatenus peccato & propter peccatum corruptioni & morti obnoxia, gratiæq; & donorum ſupernaturalium vacua, regni Dei haut capax eſt. Oportet antequam in id admitti fas ſit, corruptibilitatem exui & deponi, ſiue vt, paucis interjectis, mox in textu ſequitur, *oportet corruptibile iſtud induere incorruptibilitatem, & mortale iſtud induere immortalitatem.* Ex hac interpretatione non modò quòd Origenis opinioni Apoſtolica verba non faueant, ſed alia quoq; ad rem præſentem facientia, faciliùs intelliguntur. v. 50. 2. cont. aduerſ leg. & proph. c. 7. v. 53.

CAPVT. X.

Vniuerſalem Reſurrectionem fore, per Dei omnipotentiam.

PRoximum nunc eſt, vt Reſurrectionem, de quâ hactenus egimus, omnibus hominibus defunctis com-

CAP. X. munem atq; adeò vniuersalem fore ostendamus. Neq; fortè facilè inuenias, qui Resurrectionem admittant, & vniuersalem fore negent, præter deliros & stolidos Iudæos. Rabbi Bechai libro, cui titulus Kad hakkemach

pag. 209. siue Cadus farinæ: ארב עמעלות פרטיות *Quatuor dignitates singulares siue prærogatiuæ Israëli soli & non alijs gentibus competunt, Terra Canaan, Lex, Prophetia & Resurrectio è morte.* Quin Talmud diuersis locis ne omnibus quidem Iudæis, sed tantùm pijs resurrectionis gratiam concedit. Codice *Sanhedrin*, capitulo *Chelec*, eos qui in diluuio interierunt, & qui in deserto perierunt & Korachum cum suis in judicio comparituros negat.

II. Rabbi Sahadia Gaon ad verba Danielis, *Multi*

c. 12. v. 2. *dormientium in puluere terræ, expergiscentur; Isti*, ait, *erunt mortui Israël, quorum sors in vitâ æterna: qui verò non expergiscentur, illi sunt, qui dereliquerunt Dominum, quiq; descendent in infimum antrum gehennæ & erunt nausea omni carni.* Ad eadem Prophetæ verba commemorat Aben Ezra expositionem Higgaonis, *ὁ expergisci* solis vitæ heredibus tribuentis, conantisq; evincere *multos* hoc loco pro *paucis* poni, adductis in eam rem tribus Scripturæ dictis, vbi similiter, vt ipsi placet, multi paucos significent. Primum est II. Chronic. XXXII, 23: *multi adferebant munus Domino.* Secundum Estheræ IIX, 17: *multi è populis terræ Iudæis se addicebant.* Tertium Prouerb. XIX, 6: *multi precabuntur faciem munifici.* Nullum eorum ad rem facere videri potest, præter secundum. Dicent enim, Persas qui Iudæorum religionem & ritus tum admiserint, paucos sanè fuisse, præ multitudine reliquorum, qui à Iudaismo alieni in suâ patriâ religione perseuerârint. Sed respondeo, non ad hosce referri oportere, sed ad eos, qui ante

eum

eum diem Iudaismum receperint, aut quos aliquando recepturos esse, sperari potuerit. Sensus igitur est, multos Iudæis sese aggregasse, proselytosq; factos esse, quum hactenus aut nulli aut pauciſſimi id voluissent vel ausi essent, & pauciores etiam in posterum accessuri crederentur.

III. Rabbi Dauid Kimhi ad Iesaiæ XXVI, è loquutionibus *Mortui non reuiuiscent* & *Mortui tui reuiuiscent*, idem conatur euincere. Prophetam autem verba facere non primò & propriè de resurrectione ex mortuis, sed de populi Israëlitici post exantlatas calamitates in integrum restitutione, quæ cum resurrectione è mortuis similitudinem habeat, suprà docuimus. *Dicit Propheta*, ait Kimhi, *tunc viuent* מֵתֶיךָ *mortui tui. Pronomen autem adfixum Deum respicit, denotans justos: ipsi enim peculium Dei. Quemadmodum dixerunt Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione, Quòd viuent mortui justi, & non improbi. Idq; apparet ex hoc versiculo, vbi dicitur; Mortui tui: & è prophetia quoq; Danielis, dicentis; Multi.* v. 14. & 19 cap. 5. num. 11.

IV. Quod igitur Danielis verba, in quibus vim potissimùm faciunt, attinet, *multos dormentium* accipio pro *multis dormientibus*, vt MVLTI absolutè potius quam relatè capiantur; ad quem modum dicere liceat: Multi Angeli à Deo creati sunt; multi homines ab Adamo orti; multi in hunc vsq; diem mortui. In quibus loquutionibus res potius in se spectatur, quàm ad quid aliud refertur. Reuera enim ingens est multitudo Angelorum à Deo conditorum, & hominum hactenus ex Adamo natorum & postea denatorum, etiamsi ad alium numerum non referas. Quod si omninò referendam perpendas, ad numerum in quotidianis rebus vsitatum & men-

CAP. X. menti obuersari solitum referre sufficit. Quin, si placet, dormientes siue mortuos comparare poteris cum viuis, qui extremo die inuenientur. Quamuis enim isti in se spectati bene multi fuerint, in comparatione tamen reliquorum, qui à condito mundo ad eum vsq; diem mortui sunt & dormiunt, pauci erunt; atq; adeo ipsi hi mortui & dormientes respectu viuentium multi erunt. Omnes, inquam, qui sub extremum Christi aduentum dormientes inuenientur, comparati omnibus, qui tunc viui deprehendentur, præ istis siue respectu istorum multi erunt. Multitudo itaq; dormientium vniuersalitatem eorumdem non tollit, sed potius vniuersalitas multitudinem ponit & includit. Commeant igitur inuicem & æquipollent *Multi* & *Omnes*, cùm allegato Danielis loco, tum hisce, quæ subjicio. Matth. XX. 28: *Filius hominis dedit animam suam in λύτρον pro multis*. XXVI. 28: *Sanguis ejus pro multis effunditur*. Rom. IIX, 29. Ipse *primogenitus inter multos fratres*. Item: *Vnius offensâ multi mortui sunt*. Et; *Per inobœdientiã vnius peccatores constituti sunt multi*, Rom. V, 15&19.

v. 5. V. Ad verba psalmi primi לא־יקמו רשעים scribit R. David Kimhi; *Impij non resurgent, sed peribit anima eorum vnà cum corpore, die mortis ipsorum.* At rectè Chaldæus reddidit: לא יתזכון *non justificabuntur*, siue non poterunt subsistere & sese tueri, sed caussâ cadent. Non negant quidem Iudæi æterna improborum supplicia. Videntur autem docere, impios resurgendo non posse aut debere in sublime eniti, & deliciarum, quas in terris futuras somniant, adspectu vel vsu recreari: sed tum quando pij ad fruendum voluptatibus, quos illi comminiscuntur, resurgent, vnà cum corpore & animâ in profundum inferni amandandos. Rabbi Salomon Iarchides ad verba

ba Iezechielis; *Deÿce Aegyptum & filias gentium robustarum in terram infimam, cum descendentibus in lacum: Hic,* ait, *ostendit sanctus benedictus ille Iezechieli, quòd omnes impÿ descendent in gehennam.* CAP. X. c. 32. v. 18.

VI. Sed miseros & obcœcatos Iudæos suæ vertigini relinquamus, & audiamus potius, quid Seruator ejusq; Apostoli nos doceant. Matth. XXV, 32. *Congregabuntur coram throno Filÿ hominis omnes gentes.* Iohan. V, 28. *Venit hora, quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus.* Ergo, inquies, qui flammis absumuntur, à feris dilaniantur, aut quocumq; casu inhumati sepulturæ honore carent, & in monumentis non sunt, resurrectionis quoq; beneficio prohibebuntur? neq; reuiuiscet, si *nudus in ignotâ jaceat Palinurus arenâ?* Respondeo, *τὸ Qui in monumentis sunt*, periphrasin esse mortuorum, & à majore parte totum denominari, quum etiamsi multos sepulturâ destitui contingat, plures tamen, imò pleriq;, atq; adeo omnes, nisi præter consuetum ordinem quid interueniat, humari siue monumentis condi soleant. Quamquam, vtut desint exsequiæ & monumenta, natura tamen siue terra

Omniparens, eadem rerum est commune sepulchrum. Lucret. lib 1.

Pergamus igitur, & reliqua audiamus. *Et prodibunt, qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerint, in resurrectionem condemnationis.* Paulus Actor. XXIV, 15. *Spem habeo in Deo, fore resurrectionem mortuorum, tum justorum, tum injustorum.* Rom. XIV, 10. *Omnes sistemur apud tribunal Christi. Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus, Cerè mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua palàm agnoscet Deum.* II. Corinth. V, 10. *Omnes nos manifestos fieri oportet coram tribunali Christi, vt vnusquisq; reportet quæ in corpore fecit,* Iesa. 45. 23.

CAP. X. *cit, juxta id quod fecit, siue bonum, siue malum.* Resurgent igitur & in judicio comparebunt vniuersi, cùm pij, tum impij. Quin locus ille, de quo suprà, Prophetæ Danielis, inter evigilantes siue expergefactos id discriminis fore disertè docet, quòd euigilaturi sint *alij quidem ad vitam æternam, alij ad opprobria & contemtum æternum.*

VII. Abortiuos fœtus, qui vitam, quam non nisi in vteris maternis vixerunt, ibidem deposuerunt, resurrecturos esse vt affirmare ita negare non audet Augustinus XXII. de ciuitate Dei, cap. XIII: *quamuis* inquit, *non videam, quomodo ad eos non pertineat resurrectio mortuorum, si non eximuntur de numero mortuorum.* Rectè hoc postremũ. Si enim animam rationalem vmquam adepti sunt, vtiq; homines fuerunt & per mortem esse desierunt, atq; adeò per resurrectionem cum reliquis hominibus iterum sibi & in integrum restituentur. Neq; enim *erunt aliquæ animæ humanæ sine corporibus in æternum*; quod, absq; resurrectione eorum sit, fore, rectè animaduerit Augustinus.

VIII. Vt autem hæc Augustini verba probanda sunt, ita nescio, an probari debeant, quibus eodem libro capite XV. docet, infantes resurrecturos esse majore corporis mole, quàm quâ obierint: imò tantâ, quantam habuissent, si vnquam ætatem virilem attigissent. *Restat*, inquit, *vt suam recipiat quisq; mensuram, quam vel habuit in juuentute, etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si antè est defunctus.* Et capite sequente: *Resurgent omnes tam magni corpore, quàm vel erant, vel futuri erant in juuenili ætate.* In eumdem sensum Hieronymus: *Miraris, si de infantibus & senibus in perfecti viri ætatem resurrectio fiat: quum de limo terræ, absq; vllis ætatum incrementis, consummatus homo factus sit?*

ep. 61. cap. 11.

IX. In

CAP. X.

IX. In hanc sententiam iuerunt Magister sententiarum, Thomas & pleriq; doctores Scholastici, nixi præcipuè dicto Apostolico: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Eph. 4. 13. Ad eum locum Haymo, qui ante annos ferè octingentos vicinæ Halberstadiensis ecclesiæ episcopus fuit, ordine juxta Trithemium tertius: *Quidam hoc modo illud intelligunt, quòd in generali resurrectione omnes in eadem ætate resurgent, in quâ Christus resurrexit, cujuscumq; etiam ætatis fuerint.* Subjicit autem: *Licet contra fidem non sit, tamen melius est, vt aliter intelligamus. Virum perfectum appellat Christum, cum omni corpore suo, quod non erit perfectum, quousq; omnes electi compleantur.* Neq; videtur satis posse intelligi, quomodo seruetur idemtitas corporis, si materia, quæ, vt aliàs diximus, pars essentialis est, subitò tantopere varietur, & accedat alienæ, quæq; sub istâ formâ numquam fuerit, simul & semel ea moles, quæ priorem longè superet. Videbitur enim priori non tam accessisse, vel auxisse illam, quàm absorpsisse. de script. eccles.

X. Augustinus itaq; benè & commodè verbis, quæ postrema produximus, subjungit: *Nihil obstabit, etiamsi erit infantilis, vel senilis corporis forma, vbi nec mentis, nec ipsius corporis vlla manebit infirmitas. Vnde etiam, si quis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum vnumquemq; contendit, non est cum illo laboriosâ contradictione pugnandum.* Et capite XX: *Si contenditur in eâ quemq; corporis staturâ resurrecturum esse, in quâ defunctus est, non pugnaciter resistendum est; tantùm absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisq; corruptio, & si quid aliud non decet illud regnum, in quo resurrectionis & promissionis filij æquales erunt Angelis Dei, si non corpore, non ætate, certè felicitate.*

CAP. X. XI. Nam quod ipse de sexu fæmineo respondet capite XVII, idem ferè de infantibus & pueris responderi poterit. *Corporibus vitia detrahentur, natura seruabitur. Non est autem vitium sexus fæmineus, sed natura, quæ tunc quidem & à concubitu & à partu immunis erit, erunt tamen membra fæminea non accommodata vsui veteri, sed decori nouo, quo non alliciatur adspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur sapientia atq; clementia.* In hunc modum scribit contra illos, qui ex eo, quod dicit Apostolus, *Donec occurramus omnes in virum perfectum*; Et *nos conformandos imagini Filij Dei*, opinabantur fæminas non in sexu fæmineo, sed omnes homines in virili resurrecturos esse. Paullò post subjungens, *Quum*, inquit, *aptus esset locus, vt diceret Seruator*, contra Sadducæos videlicet disputans, *De quâ enim me interrogatis, vir erit ipsa, non mulier; non hoc dixit, sed dixit: In resurrectione enim neq; nubent, neq; vxores ducent, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo. AEquales vtiq; Angelis immortalitate ac felicitate, non carne; sicut nec resurrectione, quâ non in diguerunt Angeli, quemadmodum nec mori potuerunt. Nuptias ergo Dominus futuras negauit esse in resurrectione, non fœminas; & ibi negauit, vbi talis quæstio vertebatur, vt eam negato sexu muliebri celeriore facilitate dissolueret, si eum ibi præsciret non futurum. Imò & futurum esse firmauit dicendo: Non nubent, quod ad fœminas pertinet; neq; vxores ducent, quod ad viros. Erunt ergo, qua vel nubere hic solent, vel ducere vxores: sed ibi hoc non facient.*

Eph. 4, 13. Rom. 8, 29. Matth. 22.

XXII. Porrò manifestum est, resurrectionem hanc vniuersalem soli diuinæ & immensæ potentiæ acceptam ferendam. Vt enim puluerem & elementa, in quæ facta est resolutio corporum humanorum omnium, quotquot à primo ad extremum vsq; mundi diem computruerunt, puncto tempore simul & semul ad pristinas dispositiones & eadem corpora constituenda redeant, neq; natu-

natura neq; alia vlla creata & finita potentia valet efficere. Quin nosse, quò singula ex singulis corporibus & membris resoluta abierint, quibus elementorum partibus affusa sint, aut rebus coaluerint, non est nisi scientiæ immensæ & infinitæ, atq; adeo diuinæ. Tantum igitur abest naturæ, quæ citra cognitionis vsum operatur, Resurrectionem tribui posse, vt ne Angelis quidem, quamuis facultate intelligendi præditis, quòd finita tamen illa sit, tribui debeat. Solus Deus, qui animam corpori priùs indidit & vniuit, idem materiâ ex cineribus, pulueribus & matricibus elementorum reuocatâ corpus restituet, eiq; animam reddet & denuò vniet. Sicut enim benè loquitur Tertullianus *vtiq; idoneus est reficere, quifecit, quanto plus est fecisse quàm refecisse; initium dedisse, quàm reddidisse.* Valdè itaq; sana & pia est oratio matris septem fratrum II. Maccabæor. v. 11, 22. *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis: neq; enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quiq; omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordià reddet & vitam.* CAP. X. de resurr. cap. 11.

XIII. Neq; placet, quod disputant Scholastici, Angelorum ministerio cineres collectum & ad recipiendam humani corporis formam præparatum iri. Nusquam enim hoc docet Scriptura, Resurrectionis opus Deo in solidum tribuens. Resuscitabitur autem, vt hoc pro re natâ addamus, vnumquodq; corpus, loco quo situm est: vel si disjectum fuerit & diuersis locis diuersæ partes inueniantur; ibi, vbi major aut potior pars deprehenditur, integrum resurget, reliquis ad eam, potiorem & præstantiorem inquam, adductis & aggregatis. Sin tanto-

CAP. X. pere dissipatum fuerit, vt nullo loco notabilis aliquâ particula, sed singulæ minutissimæ totidem diuersis locis teneantur; vbi Deus voluerit, in vnum coactæ jungentur. Redintegrata verò virtute dininâ & animabus suis vnita corpora, siue, quod idem est, resuscitatos jam homines ex omnibus orbis partibus Angeli aggregabunt, vt dicitur Matth. XXIV, 31; & justos ab improbis separabunt, Matth. XIII, 49. Id genus ministeria Angeli, Scripturâ teste, obibunt.

XIV. Sicut autem nulla est potentia agens naturalis, quæ Resurrectionem valeat efficere: ita quoq; in materiâ siue cineribus non est potentia patiens naturalis, resuscitationis respectu. Potentiæ enim patientes denominationem sortiuntur ab agentibus, quæ correspondeant, & quod in potentiâ fuerit, educere in actum valeant. Quamuis igitur hîc in Resurrectione terminus sit res naturalis, nempe Homo: quia tamen cùm principium tum modus agendi est supra totum ordinem caussarum creatarum & naturalium, ideo etiam potentia passiua non naturalis est, sed, vt vocari consueuit, obedientalis.

Minhagim pag. 4. XV. Nugæ sunt canoræ & gerræ germanæ, quas more suo tradunt Iudæi de ossiculo *Neskoi*, quod nullo nisi circa vesperam exeuntis Sabbati adsumto cibo nutriatur & incorruptibile perennet, Resurrectioni aliquando materiam & quasi semen, præbiturum. Incertus sum an hoc ipsum sit illud, quod *in primo pollicis internodio* situm & inter σεσαμοειδῆ numerari solitum, *occultæ*, nescio cujus, *Philosophiæ sectatores corruptioni neutiquam obnoxium esse affirmant, & tantisper in terra adseruandum nugaciter contendunt, dum id resurrectionis tempore seminis modo hominem producat.*

Ver-

Verba sunt Andreæ Vesalij, in Epitome librorum de corporis humani fabricâ. Sanè Henricus Cornelius Agrippa, philosophiæ istius occultæ & æternùm occulendæ cultor primarius, librorum, quos de eâ scripsit, primo in hunc modum loquitur: *Est in humano corpore os quoddam minimum, quod Hebræi Luz appellant, magnitudine ciceris mundati, quod nulli corruptioni obnoxium, nec igne quidem vincitur, sed semper conseruatur illæsum: ex quo (vt dicunt) velut planta ex semine, in resurrectione mortuorum corpus nostrum animale repullulascet.*

CAP. X. cap. 1. sub finem.

cap. 20.

XVI. Verùm enimuerò cùm Hebræi, tum occultæ istius, siue potius obscuræ & absurdæ philosophiæ sectatores solennia delirant, & quicquid volunt, somniant. Resurrectio est præter & supra caussarum naturalium vim, ordinem & cursum; siue, vt vno verbo dicam, supernaturalis est. Et audiamus potius, quid in hanc rem doceat Dionysius, Areopagita dictus: ἡ ζωὴ ἀιώνιος, ἐξ ἧς ἡ αὐτοζωὴ, καὶ πᾶσα ζωὴ, καὶ ὑφ' ἧς, εἰς πάντα τὰ ὁπωσοῦν ζωῆς μετέχοντα, τὸ ζῆν οἰκείως ἑκάστῳ διασπείρεται — δωρουμένη καὶ ἀνδράσι, τὴν ὡς συμμίκτοις, ἐνδεχομένην ἀγγελοειδῆ ζωὴν, καὶ ὑπερβλύσει φιλανθρωπίας, καὶ ἀποφοιτῶντας ἡμᾶς εἰς ἑαυτὴν ἐπιστρέφουσα καὶ ἀνακαλουμένη. καὶ τὸ δὴ θειότερον, ὅτι καὶ ὅλους ἡμᾶς, ψυχὰς φημὶ καὶ τὰ συζυγῆ σώματα πρὸς παντελῆ ζωὴν καὶ ἀθανασίαν ἐπήγγελται μετοθήσειν, πρᾶγμα, τῇ παλαιότητι μὲν ἴσως παρὰ φύσιν δοκοῦν. ἐμοὶ δὲ καὶ σοὶ καὶ τῇ ἀληθείᾳ, καὶ θεῖον καὶ ὑπὲρ φύσιν. ὑπὲρ φύσιν δὲ, τὴν καθ' ἡμᾶς φημὶ, τὴν ὁρωμένην, οὐ τὴν πανεθενῆ τῆς θείας ζωῆς. *A Eterna illa vita, ex quâ ipsa vita & omnis vita; & à quâ in cuncta, quæ quantumcumq; vitæ obtinent, pro cujusq; modo vita diffunditur;* — hæc inquam æterna & diuina vita, quæ Deus est, *etiam hominibus largitur Angelorum vitam, cujus quidem ipsi, vtpote materiæ cōsortes, esse participes possūt: & pro exuberante suâ in ho-*

de diuin. nom. c. 6.

CAP. X. *homines benignitate etiam nos auersos ad se conuertit & reuocat. Quin quod multò est diuinius, nos quoq; totos, animas dico & socia corpora se ad perfectam vitam & immortalitatem traducturum esse promisit, rem quæ quidem antiquitati fortè contra naturam videatur; mihi verò, & tibi, ipsiq; veritati diuinæ & supra naturam. Supra naturam autem dico nostram, & quæ videtur, non supra naturam prepotentem diuinæ vitæ.*

XVII. Quum autem Resuscitatio mortuorum opus sit ad extra, nullum est dubium, commune esse Patri, Filio, sanctoq; Spiritui. Quia verò instante resurrectione Filius in adsumtâ humanitate oculis conspiciendus apparebit, ideo ipsi peculiariter Resuscitatio tribuitur. Iohan. V, 28: *Veniet hora, quâ omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filij hominis*, id est, virtutem sentient, obtemperabunt & prodibunt, perinde ac si viuerent, & mandata vocantis auribus haurirent. Quamquam nec ipsam vocem defuturam suo loco ostendemus. Et quum humanitas adsumta sit organum divinitatis personaliter intimeq; vnitum, ab hoc ipso resuscitationis opere excludi minimè debet: atq; adeò resuscitatio illa & administratio judicij ἐνέργεια θεανδρικὴ (quo vocabulo Dionysius, quem modò laudavimus, vsus fuit) rectè dicetur.

epist. ad Cajum.

XIIX. Iohannes VI, 40. in hunc modum loquitur Servator: *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, vt quisquis videt Filium, & credit in eum habeat vitam æternam: & ego suscitabo eum nouissimo illo die.* Nullum est dubium, quin Filius Dei Seruator noster resurrectionem fidelium, quæ ad vitam & beatitudinem est, non modò effecturus sit, sed etiam morte suâ & cæteris, quæ pro nobis egit & passus est, promeritus fuerit. Non potuisset autem morte iniquitas nostra expiari, neq; beata & gloriosa resurrectio nobis

bis acquiri, nisi moriens pro nobis eâ fuisset potentiâ, vt mortem superaret suâq; virtute disruptis lethi vinculis in vitam rediret. Meritum itaq; passionis & mortis, resurrectione quasi termino, moraliter loquendo, completur. CAP. X.

Hinc Apostolus: *Traditus est propter offensas nostras, & suscitatus ad nostri justificationem.* Nempe quemadmodum Resurrectio Christi ad justificationem, ita quoque ad beatam & gloriosam resurrectionem concurrit. Non igitur exemplar modò est resurrectionis fidelium ad vitam, sed caussa quoq; efficiens, *Quia enim per hominem mors, per hominem quoq; resurrectio mortuorum*, ad vitam scilicet. *Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes*, nempe fideles, de quibus ibi loquitur, *viuificabuntur.* Rom. 4, 26. 1. Cor. 21. & 22.

XIX. Cyrillus Alexandrinus istud latiùs extendit & ad omnes porrigit, ita vt impios quoq; propter Christum resurgere doceat. *Nonne*, ait, *vniuersum humanum genus, quod in mortem cecidit, ad vitam redibit? Omnino ita futurum respondemus; & ad omnem naturam humanam resurrectionis Christi mysterium peruenire credimus; & in ipso primo totum humanum genus ab interitu liberatum dicimus. Omnes enim resurgent propter eum, qui primus resurrexit, cunctos q;, vt homo, in se ipso continebat. Et sicut in primo homine omnes mortui sumus: sic rursus in eo, qui propter nos primùm natus, deinde mortuus est, omnes reuiuiscent. Sed qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala, in resurrectionem judicij.* Subjungit: *Ego verò ipsâ morte acerbius puto ad æternos cruciatus resurgere.* Quomodo itaq; damnandi propter Christum resurgent, quibus melius & optabilius esset numquam resurgere? Aut quomodo participes meritorum Christi erunt, qui extra Christum sunt & cum eo commercium non habent? Verba igitur Apostoli de fidelibus, qui l. 4. in Iohan. c. 12.

CAP. X. cap. 6. num. 5. beatâ resurrectione potiuntur, & in Christo viuificantur, accipienda sunt, vti contextum exigere & Augustinum exponere alibi ostendimus. Nempe *sicut in Adamo omnes*, qui Adami sunt, *moriuntur*; *ita & in Christo omnes*, qui Christi sunt, *viuificabuntur*: neq; enim magis Adamus suis mortem promeritus est, quàm Christus suis resurrectionem vitæ.

XX. Resurrectio itaq; pendet à merito Christi, non quatenus resurrectio & communis est impijs, sed quatenus resurrectio est ad vitam & propria fidelibus. Quatenus autem resurrectio est simpliciter & omnibus communis, pendet à Dei voluntate, ordinatione & decreto libero, quod per ejusdem omnipotentiam exsequutioni mandabitur siue in actum & effectum deducetur, quando voluerit ipse. Decretum autem hoc de Resurrectione hominis & in justitiâ diuinâ & in naturâ humanâ fundamentum habere, siue, vt rectius loquar, congruenter cùm ad Dei justitiam tum ad hominis naturam factum & vtriq; conueniens consentaneumq; esse pridem docuimus, vt hîc haut opus sit ei rei immorari. capite 8.

CAPVT XI.

Concluditur liber, & quanta vis consolationis à fide Resurrectionis pendeat, ostenditur.

DOctrinam Resurrectionis hactenus prosequuti pleraq;, vt spero, tradidimus, quæ de ipsâ ecclesiæ doctorem nosse opus fuerit. Si quæ minùs vel comta vel perfecta cuiquam videantur, eum vt mihi ignoscat oro, & quantas inter Patriæ calamitates, quantos inter tumultus animiq; perturbationes scripserim, consideret. Vt aliàs scribi & litteris mãdari queat, cujus neq; editione

ne bibliopolarum charta, neq; lectione ſtudioſorum o- CAP. XI.
pera pereat, ſeceſſu & ocio, animi inprimis tranqvillitate & curarum vacuitate opus eſt: aſt — *ego rerum*
Fluctibus in mediis & tempeſtatibus orbis
ab hac ipsâ ſcriptione requiem, doloriq; & ægritudini meæ ſolatium & medicinam petere coactus fui. Neq; enim inter ſtrepitus & fragores, inter tubas & tympana, in tantâ ſolitudine academiæ & abſentiâ Collegarum & amicorum, quum publicis calamitatibus accederet etiam luctus privatus admodum acerbus, quicquam erat aliud, quo labaſcentem animum fulcirem & mœroris nebulas detergerem.

II. Et ſanè, ut hoc quoq; addam, & præcipuum hujus doctrinæ uſum paucis oſtendam, nulla in malis afflictionibus & calamitatibus, qualeſcumq; & quantæcumq; incurrant, efficatior conſolatio, nullum præſentius remedium, quàm fides & meditatio Reſurrectionis. Tertullianus verè & præclarè: *Fiducia Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum.* Hanc ſpectantes & ſperantes priſci illi heroës, Chriſti athletæ & martyres, non modò mundi delitias & opes poſthabuerunt, ſed ſæuiſſimos cruciatus & diriſſima ſupplicia illuſtri patientiâ & conſtantiâ tolerarunt ſimul & ſuperarunt. Quemadmodum *Moſes potius eligit malis vexari cum populo Dei, quàm temporariam retinere peccati fruitionem: majores ducens diuitias probrum Chriſti, quàm Aegyptiorum theſauros. Intuebatur enim in præmij retributionem.* Ita quoq; nos eodem ſpectantes & collimantes à Dei cultu, ab amore Chriſti, à ſtudio veritatis & pietatis, neq; bonis quæ mundus oſtentat & promittit, neq; malis, quæ intentat & minatur, nos avelli umquam patiamur. Quicquid enim ſit, quo in hoc ſecu- Heb. II, 25. & 26.

CAP. XI. lo gaudeant & superbiant improbi, exerceantur & affligantur probi, totum momentaneum est, neq; si cum æternitate, quæ mox excipiet, componatur, tanti erit, quanti fuerit, si vel cum monte Atlante arenula granum, vel cum vniuerso, quantus orbem terrarum ambit, oceano vnicam conferas guttulam.

III. Vt igitur hæc doctrina solatium est probis, neque solo nomine sed ipsâ re Christianis, & olim & hodie indigna plerumq; perpessis: ita è contrario terror & cordolium sit omnibus improbis, istis præcipuè, qui quum neq; affectibus suis frenum imponant, neq; cupiditatibus terminum & modum statuant, sub Christiani tamen tituli vmbellâ siue vmbone latitant, & actionibus, quas impotens animi libido expressit, zelum prætexunt. Veniet & haut maximo interuallo abest illa dies, quæ fucum absterget & personam detrahet. Quàm inanis & breuis est voluptas animo suo aliquantisper obsequi, affectibus indulgere! Quàm immensa æternitas, quâ quod hîc commissum est, luere oportebit! *Vnius mora momenti*, ait Boëthius, *si decem millibus conferatur annis, quoniam vtrumq; spacium definitum est, minimam licet, habet tamen aliquam proportionem. At hic ipse numerus annorum ad interminabilem diuturnitatem ne comparari quidem potest.* de consol. l. 2. pr. 7.

IV. Cogitate, considerate, quicumq; vel in secundâ vel in aduersâ estis fortunâ, ne vos vel hujus asperitas vel illius lenocinia à Christo, à luce vitæ & semitâ pietatis abducant, & in deuia, imò in voraginem & barathrum æternæ caliginis & damnationis præcipitent. Etiamsi — *Lybiam remotis*

Gadibus jungas, & vterq; Pœnus
Seruiat vni;
Quum tamen à figulis munitam intraueris vrbem

Sur-

Sarcophago contentus eris. Nempe non minùs tibi quam cuiuis mortalium ſtatutum eſt ἅπαξ ἀποθανεῖν, μετὰ δὲ τοῦτο κρίσις. Quicumq; verò in re tenui pietatem colere, aut etiam propter pietatem vel confeſſionem veri & ſtudium virtutis mundum & mundi principem ejuſq; ſatellites aduerſarios experiri & indigna perpeti neceſſe habetis, CAP. XI. Hebr. 9, 27.

Durate & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Momentaneâ enim leuitas afflictionis noſtræ, excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis 2. Cor. 4, 17.

V. Inſaniat itaq; mundus, vel ineptiat, vtrum libuerit, Miſceant ima ſummis, auertant fluuios, perfodiant Athon, aut etiam Pelion Oſſæ imponant, quos flagrans ambitio & diræ cupiditates in perniciem generis humani exſtimulant.

Opes, honores ambiant;
Et quum falſa graui mole parauerint,
Tum vera cognoſcant bona. Boëth. de conſ. l. 3, metr. 8.

At nos *abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus temperanter & juſtè & piè viuamus in præſenti ſeculo; exſpectantes beatam illam ſpem & illuſtrem aduentum gloriæ magni illius Dei & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Tit. 2, 12. & 13. Ab hac mente dimoueat

Nec ciuium ardor praua jubentium,
Nec vultus inſtantis tyranni,

etiamſi expediat inſtrumenta comitatis ſuæ

Neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas, bojas; & præſtò fuerint *Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ.*

Si Anaxarchus gentilis philoſophus & tantæ ſpei expers quum juſſu Nicocreontis tyranni in mortario contunderetur, dicere potuit: *Tunde follem Anaxarchi, nam Anaxarchum non attingis*; quid nos decebit Chriſtum profeſſos, qui gnari ſumus, *ubi terreſtris hujus domus noſtræ tabernaculum* Laërt. lib. 9. 2. Cor. 5, 1.

CAP. XI. *lum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo nos habituros, domicilium videlicet non manufactum, æternum in cœlis?* Hoc itaq; quia scimus, & certi sumus *nos hic ciuitatem stabilem non habere*, sed in cœlis patriam tandem & portum inuenturos, ut *municipes cœlorum* nos geramus, &

Hebr. 13, 14.

Phil. 3, 20

Si fractus illabatur orbis,
Impauidos feriant ruinæ.

VI. Sed doctrinam de extremo judicio, Aeternâq; cùm vitâ tum morte, cùm gloriâ tum ignominiâ, vnde & pijs efficacior emergat consolatio, & major improbis incutiatur terror, peculiari libro, si Deo vitam nobis prorogare & tranquillitatem largiri visum fuerit, complectemur. Interea quantum consolationis jubar ex hac ipsâ Resurrectione creditâ & speratâ fidelibus affulgeat, quantum roboris accedat constantiæq; & patientiæ circa pectus apponatur, obiter ostendere non est nullum operæ præcium.

VII. Inprimis autem huc facit, ne vel mortem ipsi, ut malum, formidemus; vel obitum nostrorum immodicè & impotenter lugeamus. In utroq; persuadendo magnopere laborarunt philosophi gentiles, solâ suâ ex naturæ lumine deductâ sapientiâ nixi. Et sanè non sunt de nihilo, quæ commentantur Plato in Phædone; Tullius primo Tusculanarum, παραμυθητικὸν ἐποβολιμαῖον in mortem filiæ, qui hodie exstat, omitto;) Seneca Consolationibus ad Polybium & ad Marciam; Plutarchus ad Apollonium & ad uxorem: quæq; collegit ex antiquis scriptoribus Iohannes Stobœus. Quin Epicuræus etiam Lucretius mortem contemnere docet, sub finem tertij:

Quur non vt plenus vitæ conviva, recedis,
Æquo animoq; capis securam stulte quietem?

8. Non

CAP. XI.

IIX. Non sunt quidem de nihilo, inquam, quæ homines omnium extra ecclesiam mortaliū sapientissimi scripserunt,& cùm suis tum aliorum imbecillitati & affectibus tamquam alexipharmaca adhibuerunt,vel ut munimenta pectoribus circumdederunt. Neq; desunt illis exempla plurimorum, qui vel mortem intrepidè & fortiter obierunt ipsi, vel suorum fata constanti & imperturbatâ mente exceperunt. Attilius Regulus quum præpollente patriæ boniq; publici studio Carthaginem ad certum supplicium rediret,

Etsi sciebat, quæ sibi barbarus
Tortor pararet, non aliter tamen
Dimouit obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem;
Quàm si clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

Anaxagoras quum physica auditoribus explicans de obitu filij accepisset, nihil dixit aliud, quàm pridem sciuisse se, quòd filium mortalem genuisset. Ad Xenophontem sacrificio intentum adlatum fuit, Gryllum filium in pugnâ cecidisse. Quo audito, coronam capiti detraxit, & quomodo cecidisset, quæsiuit. Quum intellexisset generosè & fortiter pugnantem multis hostium interfectis occubuisse, exiguâ interpositâ morâ, dum motum animi ratione compesceret, reliquum sacrificij receptâ in caput coronâ peregit, nuncijsq; respondit: Deos precatus sum, non ut immortalis aut longæuus mihi esset filius: id enim an ex usu sit, incertum est: sed ut probus & patriæ amans; cujus equidem voti compos fa-

CAP. XI. factus sum. Plura similis prudentiæ & fortitudinis exempla apud auctores, quos laudauimus, qui legere volet, inueniet.

IX. Etiamsi verò, quæ animo obfirmando & dolori infringendo doctissimi rerumq; humanarum peritissimi viri in suum aut alienum solatium dixerunt fecerunt́ue, non sint, vt antè diximus de nihilo, neq; aspernanda; si tamen cum luce verbi diuini & spe resurrectionis componantur, non videbuntur alicujus esse precij vel momenti: sed quemadmodum exoriente sole stellarum fulgor dispâret, ita quoq; omnium eorum argumentorum & exemplorum robur ad consolationis vim, quam Resurrectio præbet, collatum, marcescit quasi & euanescit. Quin res ita sese potiùs habere videtur, vt si ejusmodi rationes & exempla animo aliàs excelso & generoso offerantur aut inculcentur, promtiùs tum & facilìùs, quod suopte tamen Marte alioquin facturus erat, sese colligat & in communi mortalium conditione adquiescat. Apud eum itaq;, qualem dixi, animum nonnihil poterit, si ingeras & occinas:

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Τὰ κοινὰ κοινῶς δεῖ φέρειν συμπτώματα.

Vita, mancupio nulli datur; omnibus usu.

Et quod Amasis Aegyptiorum rex filium lugenti dixit: Si quum nondum esset, non angebaris animi, ne nunc quidem quando itidem non est, dolere debes. Luctum præterea defunctis & qui lugeantur, ne minimum quidem adferre commodi; viuis autem & qui lugeant, incommodi plurimum. Sin animus fuerit mollis & delicatus, haut cessabit lamentari suum fatum, incusare naturam & fortunam, hanc quæ eripuerit, quod numquam

quam sit redditura; illam, quæ ceruis, cornicibus, quercubus & alijs minimi precij rebus diuturnitatem; homini verò, omnium quæ cernuntur nobilissimo & præstantissimo, non nisi breuis vitæ vsuram largiatur. CAP. XI.

X. Sanè M. Tullius pleraq; quæ in bonam partem & ad roborandum animum dici possunt, ad Titium scribens compendio proponit. *Est*, ait, *consolatio peruulgata illa maximè, quam semper in ore atq; in animo habere debemus, HOMINES nos vt esse meminerimus, ea lege natos, vt omnibus telis fortunæ proposita sit vita nostra: NEQVE esse recusandum, quò minùs ea, quâ nati sumus, conditione viuamus: NEQVE tam grauiter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus: EVENTIS QVE aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis nouũ cogitemus.* Atq; vtinam in nostram ætatem exactè adeo non conueniret, quod subjicit! *Neq; hæ, neq; cæteræ consolationes, quæ sunt à sapientissimis viris vsurpatæ, memoriæq; & literis proditæ tantum videntur proficere debere, quantum status ipse nostræ ciuitatis, & hæc perturbatio temporum perditorum; quum beatissimi sint, qui liberos non susceperunt: minùs autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quàm si eosdem bonâ, aut deinde aliquâ repub. perdidissent.* Sed ejusmodi, quæ ex necessitate perpetiendi & immutabilitate humanæ sortis consolationes arcessuntur, si animum, vt jam antè dixi, haut facilem moueri & à mœrore suapte naturâ alienũ nactæ fuerint, indurant eum potius, quàm confirmant, & obstinatum magis reddunt, quàm fortem. In animo autem tenero & molli quàm parum possint exemplo sit ipse Tullius, qui quum Tulliam filiam in partu exstinctã amisisset, βαρέως ἄγαν ἤνεγκε τὸ συμβεβηκὸς, quamuis ad eum consolandum vndique concurrerent philosophi. Quin, si Liuio credimus, vir tantæ existimationis

ep. 16. ad famil.

Plut. Ciceronc.

CAP. XI. Apud Senec. Suasor.

& sapientiæ, — *ille Cicero, cujus ob os Graÿ Ora obuertebant sua, omnium aduersorum, nihil vt viro dignum erat, tulit, præter mortem: quæ verè æstimanti,* ait Liuius, *minùs indigna videri potuit, quòd à victore inimico nil crudelius passurus erat, quàm quod ejusdem fortunæ compos ipse fecisset.*

XI. Rationes profectò, quæ verè satisfaciant & animum perfectè tranquillent, haut peti oportet ab ineuitabili miserias subeundi necessitate, per quam tantum abest ipsas mitiores apparere, vt asperiores potius & diriores videantur: peti verò hinc oportet, quod mors nihil mali, sed ingens potius bonum & magnam vim felicitatis morienti conciliet; quòd perpetua futura non sit, sed quos hîc mors disjungat, breui iterum conjunctura sit vita. De vtroq; si nobis constiterit, nulla supererit caussa, quare vel mortem ipsi formidemus, vel immoderatiùs, quàm par erat, nostrorum excessum feramus.

XII. Vtrumq; quidem è philosophis nonnulli persuadere conati sunt, sed ita frigidè & dilutè, vt magis implicent quàm explicent, & auditorem magis quàm acceperint, dubium dimittant. Tullius eâdem, ex quâ paullò antè quædam proferebamus, epistolâ: *Sapissimè & legi & audiui, nihil mali esse in morte.* Fando accepit, auctores laudat, vt etiam in Tusculanis; rationem, quæ euincat, inuenire non valet. At idem sine dubio legit quoq; & audiuit — νέκυας ἐ ἀπερσία χῶρον. Vel vt Latini Poëtæ verbis vtamur:

Portitor has horrendus aquas & flumina seruat
Terribili squalore Charon; præterea
Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, aduerso recubans immanis in antro.

Le-

Legit & audiuit de seueritate Aeaci, Rhadamanthi & Minois; quòd etiam functorum animæ CAP. XI.

——exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt. aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisq; suos patimur manes.

XIII. Sed disertissimum Romuli nepotum loquentem interturbamus. *Sæpissimè*, inquit, *& legi & audiui, nihil malì esse in morte, in qua si resideat sensus, immortalitas illa potiùs, quàm mors ducenda sit: sin sit amissus, nulla videri miseria debeat, quæ non sentiatur.* Ita quidem statuunt Epicuræi. At quomodo miseria non sit, in eum deueniſſe locum & statum, quo homo ad sentiendum & intelligendum natus factus

——cœlumq; tueri
Iussus & erectos ad sidera tollere vultus,

neq; nunc quicquam vel sentiat vel intelligat, neq; vmquam sentire vel intelligere possit? Stoici itaq; qui præ reliquis animi robur & constantiam ostentant, malunt promittere reditum in vitam, sed vitam ejusdem omnino conditionis, æquè calamitosam & infelicem. Redibit enim juxta ipsorum philosophiam, qui miserè vixit vt iterum misere viuat; qui mortuus est, vt dentiò moriatur. Id equidem non finis est ærumnarum, sed perpetuitas, non solatium, sed cordolium. Seneca itaq; quum dixisset, *Veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies*; subjicit, *quem multi recusarent, nisi oblitos reduceret.* Quis enim vitam repetere velit, eâ mercede, vt dolendi & moriendi nullum finem faciat? Animæ igitur apud Platonem & Virgilium, quamuis Pythagoricam potius μεπμψύχωσιν, quàm Stoi- ep. 36.

Cap. XI. 10. de Rep. cam παλιγγενεσίαν amplexos, apud illum quidem Ἀμέλητα πόταμόν, apud istum Lethen potant,

Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

XIV. Deniq; si rectè perpendimus & verum fateri volumus, apud omnes mortales & in vniuersâ philosophiâ citra lucem diuini verbi,

Lucret. l. 3. *Temporis aterni, — non vnius horæ,*
Ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
AEtas post mortem, quæ restat cumq; manenda.

Non opus est rei probandæ alium adducere præter ipsum Socratem, humanæ sapientiæ coryphæum, quem ab Athenienſibus damnatum & jam mori certum discipulus suus ὁ θεῖος, vti vocant, Plato loquentem introducit verbis, quæ quemadmodum à maximo Romanæ facundiæ magistro Latina facta sunt, ita recitabo:

Apol. Socr. & Tuscul. *Magna me spes tenet, judices, benè mihi euenire, quod mittar ad mortem: necesse est enim sit alterum de duobus, vt aut sensus omnino mors omnes auferat, aut in alium quemdam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem sive sensus exstinguitur, morsq; ei somno similis est, qui nonnumquam, etiam sine visis somniorum, placatissimam quietem adfert, dij boni, quid lucri est emori? aut quàm multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur? cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis. quis me beatior; Sin verasunt, quæ dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas qui è vitâ excesserunt, incolunt; id multò jam beatius est, te, quum abijs, qui sè judicum numero haberi volunt, euaseris, ad eos venire, qui verè judices appellentur, Minoëm, Rhadamanthum, AEacum, Triptolemum: conuenireq; eos, qui juste & cum fide vixerint. Hæc peregrinatio mediocris vobis videri potest? vt verò colloqui cum Orpheo, Musæo, Homero, Hesiodo liceat,*

at, quanti tandem æstimatis? Ita quoq; apud AElianum Cercidas Megalopolites familiaribus decit se haut ægrè mori, quippe qui speret se conuenturum è philosophis Pythagoram, ex historicis Hecatæum, ex poëtis Homerum. Post aliqua concludit Socrates deniq;: ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπέναι, ἐμοὶ μὲν ἀποθανουμένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις. ὁπότεροι δὲ ἡμῶν ἔρχονται ἐπὶ ἄμεινον πρᾶγμα, ἄδηλον παντί, πλὴν ἢ τῷ θεῷ. Tullius vertit: *Sed tempus est jam hinc abire, me, vt moriar; vos, vt vitam agatis. vtrum autem sit melius, dij immortales sciunt, hominem quidem scire arbitor neminem.* Hæc lux non est, sed caligo; non fides aut scientia, sed error & dubitatio. Nempe quâ alacritate & tranquillitate animi nauigare poterit, qui in littus impellente tempestate breuia & scopulos videat, portum & stationem non videat; pari diem suum illi obire. Sperant se familiares fore Homero & Hesiodo. At vbi sint & quâ conditione ætatem transigant isti ipsi, quorum sibi consortium promittunt & optant, æquè sciunt cum ignarissimis. Etiamsi dissimulent & metum trepidantis animi honestate verborum celent, non potest tamen alia stare menti sententia vel fiducia, quàm illa ingenuè ab Hadriano prolata:

CAP. XI. lib. 13, c. 19.

Spartianus Hadriano.

Animula vagula, blandula,
Hospes comesq; corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula?

XV. Quanto rectiùs & præclariùs sese gesserunt nostri homines, de suâ post obitam mortem felicitate corporumq; resurrectione diuinitùs edocti, & extra dubitationis aleam positi! tanto videlicet magis præsente & composito animo, quanto de promissâ restitutione in integrum & beatitudine certiores. Simeon quum Ser-

CAP. XI. uatorem mundi in vlnas suas recepisset, *Nunc dimittis*, ait,
Luc. 1. 29. *seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Pau-
Phil. 3, 23. lus desiderans solui & esse cum Christo, *reposita est mihi*,
2. Tim. 4. 8. inquit, *justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die.*
Ambrosius moriturus adstantes affatus est in hunc mo-
Paulinus in Vitâ. dum: *Non ita inter vos vixi, vt pudeat me viuere: nec timeo*
mori quoniam Dominum bonum habemus. Decedunt in pace,
certi de consequendâ coronâ justitiæ, & quòd futuri sint
de morta. cum Christo, bono Domino. *Quis hîc anxietatis* (verba
litate. nũ. 2. Cypriani sunt) *& sollicitudinis locus est? quis inter hæc trepi-*
dus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest? Ejus est enim mor-
tem timere, qui ad Christum nolit ire. Ejus est ad Christum nolle
num. 3. *ire, qui se non credat incipere cum Christo regnare.* — *Quum*
ergo Christum videre, gaudere sit (operæ enim pretium erit,
plura ejusdem sancti doctoris & martyris verba subjun-
gere) *nec possit esse gaudium nostrum, nisi quum viderimus*
Christum; quæ cæcitas animi, quæue dementia est, amare pressu-
ras & pœnas & lacrymas mundi, & non festinare potius ad gau-
dium, quod numquam possit auferri?
num. 19. XVI. Itaq; *mori planè timeat, sed qui ex aquâ & spiritu*
non renatus gehennæ ignibus mancipatur, mori timeat, qui non
Christi cruce & passione censetur. mori timeat, qui ad secun-
dam mortem de hac morte transibit. mori timeat, quem de se-
culo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit.
mori timeat, cui hoc morâ longiore confertur, vt cruciatus
ejus & gemitus interim differatur. Quemadmodum fa-
cinorosus catenis solui & carcere educi se dolet; nouit
enim soluto & educto certum imminere supplicium: ita
quoq; homo impius & Christianæ veræ fidei exsors mise-
ram hanc vitam metu miserioris miserè amat, & nume-
lis pedicisq; suis tenaciter adhæresci. In homine verò
legi-

legitimè & sincerè Christiano, fide & spe nixo, veniæq; peccatorum suæq; in suo Seruatore sibi innocentiæ conscio cuncta alia & penitus contraria. Nam, vt benè & præclarè idem Cyprianus, *non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decurso ad aeterna transgressus.* Nempe fidelibus DIES MORTIS AETERNAE VITAE NATALIS EST; quo dicto tamquam symbolo memini, me quidem adhuc puero, vsum esse popularem meum Henricum Ranzouium, Cimbricæ nobilitatis ingens & æternum decus. Quin adeo, prisci Christiani diem obitus, quem emortualem alij, Natalem ipsi non minùs piè quàm appositè dixerunt; quo loco mortem haberent, & quam spem alerent, vel isto vno vocabulo contestati. Absit à nobis, vt diuersa sentiamus: sed cum Cyprianò potius nostro pergamus ratiocinari in hunc modum: *Quis non peregrè constitutus properaret in patriam regredi? Patriam nostram paradisum computamus; parentes patriarchas habere jam cepimus. Quid non properamus & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum exspectat numerus; parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de suâ incolumitate secura, & adhuc de nostrâ salute sollicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est! Qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi & cum aeternitate viuendi! quàm summa & perpetua felicitas! Illic Apostolorum gloriosus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic martyrum innumerabilis populus.* Talia Cyprianus libro de Mortalitate, quem dicit Augustinus *multis, ac pænè omnibus, qui ecclesiasticas literas amant, laudabiliter notum.*

CAP. XI.

num. 15.

num. 18

l. de prædest. sanct. c. 14.

XVII. Nontantum itaq; nihil mali mors fidelibus adfert, sed summorum & maximorum bonorum pararia trans-

CAP. XI. transfert è terris in cœlum, è tenebris in lucem, ex æquore in portum, à curis ad tranquillitatem, ab ærumnis ad gaudia vera, certa, solida, numquam finienda, numquam interrumpenda, qualia neq; lingua fando, neq; mens, quamuis plus valeat, cogitando potest adsequi. Quare itaq; vel nostram vicem doleamus, vel nostrorum, etiamsi.

Non deuitari lethum pote, quin obeamus?

Tantam felicitatem inuidere vel intempestiuis querelis interpellare neq; fas neq; pium est. Gratulemur potius illis, qui superato mari vorticoso & procelloso portum jam tenent; ipsiq; nos ad iter in horas accincti eodem velis remisq; contendamus.

XIIX. Interim tamen, inquies, superstitibus suauissimâ suorum familiaritate & conuersatione, quâ curæ & molestiæ hujus vitæ leuari poterant, carendum! Neque fieri potest vt citra affectum diuellantur, qui magno inter se affectu erant deuincti, aut vt nullo parentes liberorum, liberi parentum, mariti suarum vxorum, vxores maritorum, frates fratrum desiderio tangantur vel teneantur! Haut diffiteor equidem: neq; diffiteri potuit Romanus sapiens, qui alioquin ex disciplinâ sectæ suæ motus & affectus animi à sese maximè segregatum iret. *Scio*, ait, *inueniri quosdam, duræ magis quàm fortis prudentiæ viros, qui negent dolicurum esse sapientem. Hi verò videntur numquam in ejusmodi casum incidisse. Alioquin extudisset illis fortuna superbam sapientiam, & ad confessionem eos veri etiam inuitos compulisset. Satis præstiterit ratio, si id vnum ex dolore, quod & superest & abundat, exciderit. Nam vt quidem nullum omnino esse eum patiatur, nec sperandum vlli, nec concupiscendum est. Hunc potius modum seruet, qui nec impietatem imitetur,*

Consol. ad Polyp. c. vlt.

tur, nec insaniam; & nos in eo teneat habitu, qui & piamentis est, nec emota. Putes verum esse, quod vulgò creditur, cum Apostolo conuersatum fuisse hominem, ita Christianè loquitur. Nam Apostolus etiam ipse non prohibet quidem, ne contristemur omnino, sed *ne contristemur, sicut reliqui, qui spem non habent.* Spes autem nostra est, quod *ipse Dominus cum hortationis clamore, cum voce Archangeli & cum Dei tubâ descendet è cœlo; & qui mortui fuerint in Christo, resurgent primùm. Deinde nos viui, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum Domini in aëra; & ita semper cum Domino erimus.* Nempe qui modò cum dolore disjungimur, breui iterum conueniemus & jungemur, lætitiâ incomparabiliter tunc majore, quàm hîc fuit luctus; neque denuò vmquam diuellemur, sed in summâ tranquillitate, in perfectâ felicitate, inter enarrabilia tripudia & gaudia vnà erimus in omne æuum. Ad deliquia solis & lunæ, qui caussarum ignari sunt, stupent; olim etiam tinnitu æris & cymbalorum subuenire satagebant: periti verò motuum cœlestium nihil metuunt; norunt enim mox vtriq; sideri suum jubar & splendorem redditum iri. Nos quoq; luctum & immodicum mœrorem transcribamus ijs, qui ignorantiâ mysteriorum fidei laborant & spem non habent. Vt gnari autem diuinarum promissionum dolori nostro moderemur, certi non nos amisisse nostros, sed præmisisse isthuc, quò etiam ipsi propediem simus venturi. Hac spei certitudine, quam ex nullâ aliâ doctrinâ, præterquam Christianâ haurire licet, nitamur & desiderium nostrum solemur.

CAP. XI.

1. Thes. 4. 13.

v. 16.

Hac casti maneant in religione nepotes.

XIX. Equidem nihil humani à me alienum esse vm-

CAP. XI. quam existimaui. Non tamen putaram fore, vt hæc meditanti & scribenti casus incumberet, quo mihimetipsi medicinâ, quam in publicos vsus exstare volebam, opus esset. Visum tamen fuit ei, à cujus nutu pendent omnia, vt, dum hæc eduntur, mortalitatem exueret & ærumnosam hanc vitam gloriosâ commutaret filius meo primogenitus IOHANNES — ERICVS, ob raram indolem, insignem animi modestiam & probitatem, aliasq; supra ætatulam illam (septimum enim annum nondum compleuerat) dotes & virtutes non mihi modò & matri suæ vnicè carus, sed cognatorum etiam, amicorum, familiarium & omnium, quotquot ipsum nôrant, amor & delicium. Neq; quisquam dubitabat, quin ille, si Deus maturitatem concessisset, cùm morum integritate, quam eximiam præstare, tum solidâ eruditione, cujus & incredibili amore flagrare & initia felicissimè capere ceperat, reip. & ecclesiæ ornamento, patriæ & parentibus solatio futurus, sibimetipsi verò nominis & famæ perpetuitatem conciliaturus fuisset. Latinam linguam non minùs quàm vernaculam, vnà cum lacte hauserat materno, neq; citiùs cepit balbutire, quàm latinè loqui. Iamque, quæ ipsum attinebant, & perfectè intelligebat, & satis commodè loquebatur, æquè promtus latino sermone, quo ad me & præceptores semper vsus est, ac germanico, quo aliàs ad matrem & familiam vtebatur. Quum pluribus ego ingenium puerile obrui nollem, ipse sponte suâ animaduersos sibi in codicibus græcos & hebræos characteres, vt cognsceret, adlaborabat. Præterea, quæ ad pietatem faciunt, dicta videlicet Scripturæ, religiosas preces & psalmos Dauidis à Buchanano translatos, sententiosos pleroſq; uersus cùm Horatij

tum

tum Virgilij & aliorum etiam memoriâ tenebat, & si posceres, expeditè recitabat. Partes orbis terrarum in tabulis Geographicis discernere, ostendere & præcipua loca digito indicare & nominibus designare norat. Figuras quoq; mathematicas callebat, lineas & earum differentias, triangulum, quadrangulum, circũlum & circuli centrum, peripheriam, diametrum pingere & monstrare didicerat. Quin sphæræ circulos cognitos habebat, & instrumentũ nactus, quod sphæram materialem vocant, eo circumuoluto solis cursum appositè metiebatur. Tanto autem ardore in harum rerum cognitionem ferebatur, vt sæpe summo manè, serenioribus præsertim diebus, expergefactus in cubiculo lectuloq; suo, qui euro & auroræ oppositus, orientem solem obseruaret, & mox è lecto ad sphæram suam se conferens, adfixâ zodiaco solis imagunculâ, quod in cœlo viderat, instrumento imitari conaretur. Et quum sic satis solis motum adsequi sibi videretur, vt pari ratione lunæ quoq; motus monstraretur, rogabat. Vultus erat ingenuus & mores ita amabiles, vt quotquot intueretur aut adloqueretur, è vestigio sibi deuinciret. Id vnicè studebat, ne vel voce vel gestu quemquam offenderet, & si fortè per imprudentiam puerili errato offendisset, non poterat quiescere, priusquam veniam petijsset & impetrasset. Impotenter enim dolebat, si quid fortè secùs, quàm oportebat, egisset, vt nullis ad emendationem opus esset minacibus verbis, nedum verberibus, sed solâ admonitione & seueriore intuitu, ad quem vbertim profluentibus lacrymis non desinebat animo angi, nisi satisfactum esse & pristinam gratiam sibi constare intellexisset. Planè puer erat, qualem Quinctilianus sibi dari optabat, quem objurgatio

CAP. XI.

Inst. lib. 1. c. 3.

Cap. XI. morderet, laus excitaret, amans laborum, impatiens otij. Parentibus obsequentissimus absq; diserta venia neq; quicquam agebat, neq; vmquam pedem domo efferebat. Munditiei praterea & elegantiæ studiosissimus libellos suos & cætera oblectamenta singula suis locis reposita vel cistulæ inclusa accuratissimè seruabat. Vt id quoq; addam, exortis subinde calamitoso hoc bello repentinis & formidolosis tumultibus, familiâ & totâ vicinia trepidante, ipse semper præsentis animi specimina edebat, vt mentem, si ætate & institutione paullatim confirmaretur, fortunæ ludibrijs superiorem fore, facilè appareret.

XX. Tantas meas delicias, tantas spes catarrhus intercepit & in herbâ, quod ajunt, exstinxit: vt vel hinc, quàm fragilia & fluxa sint, quæcumq; sibi homines promittunt, nullo discas negocio. Post medium Aprilem, quum cœlum temporibus & fatis nostris respondens nubilum esset & intempestiuo frigore asperum, tussi optimus puer cepit corripi, quamuis tamen non admodum violentâ, & paullò pòst raucedine, quæ indies magis magisq; inualescebat, quum interim vt solitus erat, cibum sumeret, neq; valdè conquereretur, neq; de pristinis exercitijs aut studijs quicquam remitteret, neq; licet inuitatus decumbere vmquam vellet, vsus tamen leuioribus aduersus tussim & raucedinem remedijs, à valentioribus aliàs cùm per ætatem tum naturalem inclinationem alienus. Tandem præter exspectationem IIX KL. Majas circa nonam vespertinam catarrhus suffocationem minatus incubuit; qui ubi beneficio validæ nuturæ & vomitus interuentu excussus esset, asthma consectarium habuit adeo difficile & pertinax, vt nullâ arte, nullâ cu-

curâ, nullis medicamentis superari posset. Nulli quidem industriæ parcebatur: & quamquam ab ijs, quæ ore sumuntur, alienor esset puer, quæ tamen extrinsecùs adhibentur, inunctiones, frictiones, ligaturas extremorum & injectionē clysmatum patientissimè ferebat, vnicè dolens, quòd intrinsecùs adsumendis, quemadmodum cuperet, parentibus gratificari per naturam suam non posset. Neq; tamē ab ipsis siue jussus siue rogatus nihil hauriebat, neq; id ipsum sine effectu: materia enim è pectore affatim eliciebatur, quamuis præcipite semper è superioribus catarrho, periculum in horas ingraueſceret. Nullum quo decubuit, tempore impatientiæ signum dedit, consuetum sibi sermonis & morum tenorem seruans, quasi morbus, quo laborabat, ad ipsum nihil pertineret: Deum autem precatus, si conualesceret, quantâ diligentiâ studia sua repetiturus, & quomodo quæ negligere nunc cogeretur, compensaturus esset, idemtidem dictitabat. Imminente morte inter summas oppleti pectoris & oppressi cordis angustias Deo patriam, quod in puero virile imò senile erat, & Christo Seruatori animam suam seriò commendauit, adstantes vbi precari cessassent, vt pergerent, aliquoties hortatus, & præeuntes, quò ad poterat, voce & gestu subsequutus. Tandem quum nominatim parentibus & omnibus familiaribus valedixisset, citra vllum violentiorem corporis motum, citra doloris & mortis sensum placidè exspirauit. Solos tres dies decubuit: neq; enim optimum puerum benignissimus Pater, cui vel pueri inprimis curæ sunt, diuturno morbo torqueri voluit. In lucem editus fuit anno clɔ Iɔ CXX, postrid. Eid. Sextil. post octauam matutinam; inter mortales esse desiit anno clɔ Iɔ CXXVII, CAP. XL

Cap. XI. IV KL. Majas ante tertiam matutinam, vt vixerit non nisi annos VI menses IIX, & aliquot, qui excurrunt, dies, longiore æuo dignissimus, nisi Deo, in cujus manu omnium nostrûm vita est, aliter visum fuisset.

XXI. In casu adeo & inopinato & acerbo non quidem deseruerunt me, quæ à puero colui, sapientiæ studia. Occurrebat animo, decere, vt quod allatura esset temporis diuturnitas, quæ maximos quosuis luctus minuit & tandem tollit, id ratione præuorterem, consilioque & prudentiâ præriperem. Memineram apud Senecam me legisse: *O ignaros malorum suorum, quibus non mors, vt optimum inuentum natura laudatur: quæ siue felicitatem includit, siue calamitatem repellit, siue satietatem aut lassitudinem senis terminat, siue juuenile æuum, dum meliora sperantur, in flore deducit, siue pueritiam ante duriores gradus reuocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita, quàm de his, ad quos venit antequam inuocaretur.*

Consol. ad Marc. c. 20.

XXII. Vt autem verum fatear, quicquid suggerebat humana sapientia, & dixisse memineram vel Socratem, vel Senecam, vel alios mortalium prudentissimos & fortissimos, vbi ad lucem diuinæ reuelationis & spem resurrectionis æternæq; felicitatis me conuertissem, vix erat vt attenderem. Bono meo fato fiebat, vt sub ipsum delectissimi filioli obitum, in manibus haberem & tractarem verba Apostoli: *Seritur cum corruptione, suscitatur cum incorruptione: seritur cum fœditate, suscitatur cum gloriâ: seritur defectum viribus, suscitatur potens: seritur corpus animale, suscitatur corpus spirituale* Hæc quum exanime corpusculum filij, de quo spes maximas conceperam, intuerer, & meis ipse manibus oculos ejus, à quo mihimet præstandum fuisset id officium, si recto & non inuerso ordi-

1. Cor. 15. 34.

ne natura decurriſſet, clauderem; ita me per Dei gratiam confirmarunt, vt ſi non omnem doloris & deſiderij ſenſum (quod quidem fieri non poterat, neq; fortè debebat) penitus obliterarent, quicquid tamen indecens vel immodicum obrepere potuiſſet, facilè excluderent. Deſij itaq; dolere, qui certo certiùs ſcirem, filio meo, cui benè eſſe cuperem, benè eſſe: & deſiderium meum certitudine glorioſæ reſtitutionis ſolabar, & etiamnúm ſolor. Fuit quidem triſtitia & mœror in diſcidio: ſed quando eum denuò videbo, quando iterum mihi, quod hîc facere conſueuerat, occurret & in amplexus ruet, triſtitiâ & mœrore iſto tanto major erit lætitia & gaudium, quanto quàm hîc viſus eſt, ſpecioſior apparebit. CAP. XI

XXIII. Luculentæ ſapientiæ inſtar plerisq; gentilibus eſt, quod Silenum à Mida captum ei pro ſuâ miſſione referendæ gratiæ ergò reſpondiſſe ferunt: *Non naſci homini longè optimum eſſe; proximum autem, quam primùm mori.* Poſterius equidem non improbo: at prius illud dignum, quod madido ore Silenus proferret, aſiniñis auribus Midas exciperet. Quomodo enim queat optimâ conditione eſſe, vel aliquid optimum habere, qui neq; ſit neq; fuerit? Quomodo melius ſit nihil eſſe, quàm intelligentem eſſe, imaginem Dei eſſe? Prauitatem ex Adamo contractam & medicinam ejus τὸ λυτρὸν παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου ex æquo Silenus ignorauit: neq; magis ſciuit, quanta regeneratum maneat gloria & felicitas. Quamuis itaq; ſententia iſta deceat Silenum

Inflatum heſterno venas, vt ſemper, Iaccho;

neq; vel in foro naturalis ſapientiæ apud emunctæ naris judices defendi poſſit, ſatius fore nihil eſſe, quàm hominem eſſe: nobis tamen Chriſtianis eò debet videri inſul- 1 Tuſcul. Plut. ad Apollon.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0171
Mecklenburg Vorpommern

Cap. XI. fulsior & absurdior, quò major lux affulsit & de regenerationis gratiâ & beatitudinis gloriâ certiores sumus. Iohannes-Ericus meus si generatus non fuisset, neq; regeneratus esset; non induisset Christum Seruatorem suum; non adoptatus esset à Deo in filium; non adijsset hereditatem beatæ æternitatis; nõ ageret inter Angelos æuum, nec ἰσάγγελος ipse nunc esset.

XXIV. At in pueritiâ & ætatis primordijs obijt, vitâq; excessit priùs, quàm qualis sit, rectè quiuerit cognoscere! Optimè cum eo actum. Et hoc saltim bene monuisse Silenum paullò antè dicebam. Si vitam, qualis esset, pleniùs intellexisset, plus certè dolere, gaudere nihilo magis potuisset. Quæcumq; verò nesciuit, quibus cognitis recreari vel delectari possit, perfectiùs modò intelligit, quàm egomet ipse, vel alij, à quibus hîc discere necesse habuisset. Quò autem citiùs, eò quoq; certiùs æternam felicitatem adijt. Candidam enim vestem, quam in sacro lauacro induit mundam, uti acceperat, seruauit, nulloq; deliberato facinore, nullis contra conscientiam delictis contaminauit. *Ereptus est*, (vtor verbis Sapientiæ) *ne malitia mutaret intellectum ejus, aut dolus decaep. 4, v. 11. ciperet animum ejus.* *Sanctificatus breui impleuit longa tempora:* v. 13. & 14. *Grata enim erat Domino anima ipsius, propterea festinauit tollere ex improbitatis medio.* Quamuis schismate non minùs miserabili quàm horribili dissideat oriens ab occidente, auster à septentrione, & alij alios siue odio siue zelo quodam deuoueant & gehennæ addicant; nemo tamen, vbicumq; tandem & apud quoscumq; baptismum adeptis infantibus puerisq;, qui isthac ætate decedunt, salutem abjudicare ausus est. Cæteri qui diutiùs in viâ hæremus, eò minore compendio imus & major cum pericu-

lo.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0172
Mecklenburg Vorpommern

lo. Apud Deum vita in precio non longa, sed innocentissima, qualem in primâ istâ ætate, quum mecum viueret, filius meus habuit; &, vbi nunc viuit, gaudium habet & triumphum. CAP. XI.

XXV. Qvamuis autem istam, quam modò dedimus, caussam adsequi non potuerint sapientes seculi; ob solas tamen diuturnioris vitæ grauiores difficultates & crebriores molestias, breuem ipsi optimam judicarunt. Per-uulgatum est illud Menandri:

Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος.

Sicut enim omnes Rheni vndæ in oceanum deuoluuntur: aliæ autem neq; longâ neq; difficili viâ exitum inueniunt; aliæ verò, quæ prope fontes ipsos excipiuntur, & diu in itinere hærent, & è catarractis præcipitantur, & ambagibus atq; anfractibus exercentur. Non aliter in vitâ humanâ — *Omnes metam properamus ad vnam.* Qui ab eâ longiùs absunt, iter sicut diuturnum ita quoq; molestum magis conficiunt, plures difficultates experiuntur, & majores labores exantlant. Rectè profectò, vt pleraq;, Seneca, *Non est*, ait, *quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse. Non ille diu vixit, sed diu fuit. Quid enim? illum multum putas nauigasse, quem saua tempestas à portu exceptum huc & illuc tulit, ac viribus ventorum ex diuerso furentium per eadem spacia in orbem egit? Non ille multum nauigauit, sed multum jactatus est.* de Breuit. vitæ c. 3.

XXVI. Deniq; non immaturus obijt, qui vixit, quantum debuit viuere, imò quantum DEVS eum voluit viuere. Ad Dei enim voluntatem nobis Christianis præcipuè, quin vnicè respiciendum est. Ne quidem vnus ex passerculis, qui bini assario væneunt, sine Patre nostro cœlesti in terram cadit: & quomodo citra ejusdem bene- Matth. 10. 29.

CAP. XI. placitum & voluntatem caderet egregius adeò puer, innumeris præstantior passercúlis? Dei voluntatem impleri, quotidie precor. nunc in obitu filij mei impletam video: quid refragor? quid angor? Quamdiu de eâ mihi non constitit, vt filium meum mecum esse vellet, orabam. nunc postquam, quid benignissimo & sapientissimo Patri placeat, intellexi; quod ipsum velle noui, mihi quoq; probari, nisi à memetipso dissentire malim, æquũ est. Quid enim si me voluisset facere, quod Abrahamum voluit? *Qui filium non potes*, ait Cyprianus, *lege & sorte mortalitatis amittere, quid faceres, si filium juberetis occidere*? Neque fas est dubitare, quin quod voluit ille, melius sit, quàm quod ego, mihi aliàs permissus, voluissem, magisq; è re cùm meâ, tum ipsius pueri; quamuis, quæ humana est tarditas, omnes cœlestis consilij & prouidentiæ rationes nec adsequar, nec adsequi debeam: neq; tamen ope gratiæ & lucis diuinæ nihil videam; nempe sciam, id egisse Dominum, per quod optimus puer pessimo mundo & imminentibus malis ereptus benè haberet & tranquillitate potiretur, ego verò probarer & domestico exemplo tam fragilitatis præsentis, quàm futuræ beatitudinis admonerer.

de mortal. num. 8.

XXVII. Quumitaq; sciam, me suauissimum filium non amisisse, sed velut arrabonem mei subsequuturi præmisisse, quò venire ego exoptem, & vbi ille beatum æuum agat; nimis tener & mollis fuero, & me magis, quàm illum amare videbor, si familiaritate & conuersatione tantisper, dum breui iterum conueniamus, æquo animo carere nequeam. Carendum nihilominus aliquamdiu fuisset, etiamsi vixisset, quando ipsum amor sapientiæ & litterarum peregrinari aliasq; oras & terras visere com-

pu-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0174
Mecklenburg Vorpommern

puliſſet: atq; eò quidem deteriore conditione, quòd an CAP. XI.
benè abſens haberet, an extra pericula eſſet, ſcire tum nõ potuiſſem; qui modò quod extra fortunæ aleam, extra teli jactum conſtitutus placidiſſimè & feliciſſimè degat, certiſſimus ſum.

XXIIX. Ex familiaribus audiui dicentes malle ſe non fuiſſe puerum adeò præſtantem & amabilem; quippe qui ita tolerabilius & minùs acre deſiderium ſui reliquiſſet. At ego degenerem ex me natum eſſe nollem. Filium mihi Deus non diuturnum daturus, eximium dederat. Indole illum, non annis æſtimo, quos ipsâ etiam corporis proceritate anteuerterat. Mihi dictum puto, quod ad Polybium ſcripſit Seneca: *Gaude habuiſſe te tam* cap. 29.
bonum filium; *& vſum fructum ejus, quamvis breuior voto tuo fuerit, boni conſule. Cogita jucũdiſſimum eſſe, quod habuiſti, humanum, quod perdidiſti*; etſi mihi id verbi vſurpare, religio eſt. Equidem non meæ oblectationi, quamvis è tali filio non potuiſſem exiguam capere, ſed Dei miniſterio & optimis ſanctiſſimisq; litteris illum deſtinâram, eò feruentiore deſiderio, quò pauciores eſſe video, qui ſerio & vt fieri oportebat, ijs diſciplinis ſtudijsq; ſeſe dedant, quorum adminiculo eccleſiæ catholicæ tot damna ſarciri, tot vulnera ſanari, tanta & tam funeſta certamina ſopiri, & aliqua ſaltim concordiæ & tranquillitatis ratio iniri poſſit. Sperabam ab ipſo aliquando præſtitum iri, quod modò à me per meam tenuitatem & temporum malignitatem præſtari nequit. At Deo aliter & potius quiddam de meo filio ſtatuere viſum fuit. Noluit illum in militante eccleſiâ inter impura ſeculi flagitia, inter curas & ærumnas laborioſa ſtipendia mereri, ſed in triumphante inter beatiſſimarum mentium & caſtiſſimorum Angelorum

CAP. XI. choros Christo Seruatori suo lætum pæana accinere. Ego sanè acquiesco, Deo vt ex suo arbitratu suo famulo vtatur, permitto, & quòd ministerio longè amœnissimo adhibere voluerit, gratias ago; lætus, quòd quem aliquando meorum studiorum socium & æmulum habere speraueram, nunc pro me meisq; studijs deprecatorem nactus sim. Quamuis enim, quòd è sede felicitatis suæ res nostras adspiciat, non ausim affirmare; memoriam tamen, quam secum extulit, mei, & matris suæ, & fratris, quos tenerrimè semper amauit, & jam decessurus nominatim compellabat, non deposuit. Non desinet itaq; pro nobis, quos etiamnum peregrinari, & pro nostrâ incolumitate, quam inter has mundi procellas periclitari nouit, preces fundere, eò quidem efficaciores, quò purior est mente & propiùs ad Deum accessit. Quod igitur Elysio Terinæo fallace oracula voce responsum ajunt, id mihi diuinâ & fallere nescià dici persuasum habeo:

Plut. ad Apoll. Cic. 1. Tuscul.

Sic fuit vtilius finiri ipsiq; tibiq;.

Ignosce benevole lector, quòd hæc scribens mihimetipsi aliquid dederim. Faxit Deus, vt numquam tibi eâ medicinâ vsus sit. sin fuerit, vt fert humanæ vitæ ratio (nam *quotaquæq; domus vsq; ad exitum omnibus suis constitit, in quâ non aliquid turbatum sit?*) quemadmodum ipse feci, vtere: & si quem nunc edimus, placuerit, alterum de Extremo judicio & AEternâ beatitudine librum exspecta.

Sen. ad Marc. c. 14.

GLORIA DEO.

FINIS.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0176
Mecklenburg Vorpommern

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1012015025/phys_0177
Mecklenburg
Vorpommern

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1012015025/phys_0178
Mecklenburg
Vorpommern

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1012015025/phys_0179
Mecklenburg
Vorpommern

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1012015025/phys_0180
Mecklenburg
Vorpommern

qui boni sunt. Dicit igitur Apostolus : *Si in* GAL. VI. v. 19.

. id est, propter huius vitæ bona & com-

christum speramus, miserrimi omnium hominum sumus.

uli bonis nos atq; alij, qui maximè Deo

sq; voluntati obtemperamus, minimè

mos quosq; & fidissimos Dei seruos

esse & m mortalium miserrimos, pugnat

cum pr iâ & bonitate Dei. Ergo aliam

vitam sup

V. Ada *christus suscitatus est ex mortuis, &* v. 20.

primitiæ eorum, q factus est. Redit videli-

cet ad primum a ad resurrectionem Do-

mini, ex quâ Cor scribebat, creditâ,

resurrectionem fide t: Vocat autem

Christum *primitias eorum* unt quòd primus

è somno mortis ad vita & numquam

cum morte iterum commu xerit, vnde

etiam *primogenitus ex mortuis* di d ille suis Coloss. 1. 18.

omnibus causſa sit beatæ resurre suâ ip- Apoc. 1. 5.

sius resurrectione cunctorum fideli nem

sanctificarit, quemadmodum in lege itiæ

fructuum Deo oblatæ reliquos fructus

mulum sanctificabant. *Quia enim per hom* v. 21.

quia Adamus non soli sibi, sed omnibus h

acersijt, *per hominem quoq;* Christum videlicet

posteriorem Adamum, *resurrectio mortuorum*, nem

dicitur resurrectio vitæ & resurrectioni condemn

nis opponitur Iohan. V, 29. *Sicut enim in Adamo omnes*

riuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Augustinu

de viuificatione fidelium ad æternam salutem rectè in-

terpretatus, *Per hanc*, ait, *Apostolicam diuinam claramq; sen-* epist.

tentiam

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1012015025/phys_0181
Mecklenburg Vorpommern